

MICHAELIS VÖRÖSMARTY  
CSONGOR ET TÜNDE

*Fabula quinque actuum*

versionem Latinam  
***Ladislao Szörényi***  
*amico et magistro*  
*sapientissimo et disertissimo*  
*septuagenario*  
dat dedicat libens laetus merito  
*Benedictus Fehér*

Budapestini  
2014

## PERSONAE FABULAE

CSONGOR, iuvenis nobilis

MERCATOR

REX

SAPIENS

} peregrini

INEPTIUS, agricola, dein famulus Csongoris

DEMETRIUS, tabernarius Dacoripensis

MURMAX

GRUNNAX

TUMAX

} daemones

TÜNDE, Hesperis

ILMA, uxor Ineptii, ancilla Tündes

PUTRIA, venefica

PELLEX

NYMPHAE, GENII &c.

*Agitur Cumanorum temporibus Paganorum*

# ACTUS PRIMUS

## HORTUS

*(In medio arbos Hesperidum sola floret, sub qua Putria  
vincta sedet. Csongor venit)*

CSONGOR Pervagatus cuncta regna,  
Ultimam oram et omnia,  
Quod meos viget per somnos,  
Pulchrum caeleste et decorum  
Nulla in terra repperi.  
Ut strepenti fimbriam  
Actam vento nunc citam,  
Inquietum spiritum  
Fert cupido hunc alitem.  
A quid? ecce in horto summo,  
Ut specto, malus viret,  
Visus mirus, res novella  
E contrariis mundis: stella,  
Lignum terrestre, unio.  
Quaeque vincta ibi sedet,  
Prava illa et maligna anus,  
Temporis maior soror  
Forte est, murmurans, fremens  
Ut procella vincta – quid  
Hoc sibi vult? Putria –

PUTRIA

O

Canae ipsae mihi et relictas  
Sors bona est te adire, Csongor  
Clare! Me viden ligatam  
Absque gente omni evitatam  
Ieiunam quasi mori?

CSONGOR (*secreto*)

Falsi ut nummi, cuncta verba  
Auribus sonant male.

(*ad Putriam*) Quid mali est, cedo!

PUTRIA Iamdudum

Ignotum miraculum  
Hac terra loquar.

CSONGOR Cito fac.

PUTRIA (*secreto*)

Ut iubet me! – Flos iuventae,  
Quem edidit, nutrit ad spem  
Mater, gaudium atque honorem,  
Audi iam, carissime –

CSONGOR Pus vetus, noli morari,  
Ad rem, vel mehercule  
Te sub arbore hac relinquam.

PUTRIA Sis benigne!

(*secreto*)

Ei superbe,  
Fungus ut trunci, perito,  
Fias mus fiasve vermis,  
Sisve sicut Putria.

CSONGOR Quid fremebas, Putria?

PUTRIA Cogitabam, ut dicerem –  
Nonne illam malum vides:  
Quot rami, quot folia,  
Res tot mirae sunt novae.  
Hanc – neque huic verum loquar –  
Hanc culmen sterile ineptum  
Stellis forte et sole praegnans  
Sic concepit ediditque,  
Ut signum ulciscendi – namque  
Nil ortum est hic tamdiu,  
Nil nisi stipae et vepres  
Pravi: eo est nomen datum

Ei “culmen veneficum”.  
 CSONGOR Quam taetram confusionem  
 Pulchri et turpis textit illa.  
 PUTRIA En ere, in vasto vide illam  
 Mali florere arborem,  
 Purum argentum cuius est flos,  
 Utque albae rosae in sinu  
 Nidum ponit scarabaeus,  
 Musca ut lapsa in lacte, baca  
 In nova nive ut vetusta –  
 CSONGOR Ferri est obduratio par,  
 Qua possum auscultare eam.  
 Ne cunctaris, vel tuae inde  
 Cruri erit duplex catena.  
 PUTRIA (*secreto*)  
 In mari bilis tuae te  
 Emori male opto. – Ere,  
 Non miror te fervidum esse  
 Tam in iuventa, sentias qui  
 Forte nympham flavam – at ecquid  
 Sum locuta!  
 CSONGOR Quid?  
 PUTRIA Fabellas.  
 Scis vetusta garritare  
 Malle labra, quam epulare.  
 Pergam: argenteum ista florem  
 Iactat mira malus, in quo  
 Gemma splendet fulgida.  
 Deflorescit in diebus  
 Singulis ter, vesperique,  
 Virginis mammae ut papillae,  
 Mala turgent tam pusilla.  
 Cumque amoena obscuritate  
 Caecae noctis adventante,

Fures, vespertiliones,  
 Larvae erraticae, latrones  
 Quas meridiem vocant,  
 Horae ut corvi devolant,  
 Nubes obtegunt fera astra,  
 Quas sepulchra aperta nubes  
 Concoquunt, udae paludes  
 Et draconum anhelitūs,  
 Equitat dure stupens  
 Strix patre in cano sedens,  
 Monstrum in monstro erratico,  
 Trudis in longurio,  
 Atque ululant in fabella  
 Mortalibus fletum bella,  
 Atque incendiario  
 Spectante usta sub domo  
 Potant, cenant, venditant,  
 Et botaurus dat rugitum,  
 Optima exit virginum  
 Filium suum clam humatum,  
 Occisum exit, dein humatum –  
 CSONGOR Heu faecem nefariam,  
 Monstra! Non! plus non feram.  
 PUTRIA Linquet me, ibit, festinandum est.  
 O ere! o ere! exigam nunc.  
 CSONGOR Monstrum fugissem, teneret  
 Ni me curiositas.  
 Auscultandum est.  
 PUTRIA Fac nota:  
 Ut dixi, nox cum venit,  
 Ut caput natae nove,  
 Malum crescere incipit,  
 Aureum fit turgide.  
 Usui tamen nec patri,

Quotquot id custodiant,  
Est senis, tuae nec matri;  
Venti in ima nocte flant,  
Fascinant ad somnum ocellos,  
Nudata arbor mane ibi  
Est, ut soli cardui.  
Quodque sum vetustior,  
Postremam capit sopor,  
Sic loquentes alligarunt  
Trunco me et ludificarunt.  
Attamen me non minor vis  
Plumbei affligit soporis;  
Nocte tertia siti  
Vexata et fame excubo.

CSONGOR

Quae novae cupidines,  
Mens ignota, spes recens,  
Ut quassae spumae in mari  
Fulmen nocturnum vagum,  
Transit cordis proelia?

PUTRIA

Te crudelem perduint di!  
Non absolvit me catenis,  
Plura oportet me fateri,  
Vera me faterier. –  
O ere, audi, suspicar quid:  
Inde virgo pulchra nympha,  
Forte quae plantarit hanc,  
Tamquam proprium reportat  
Aureum malum sibi.

CSONGOR (*catenam Putriae decutit*)

Perge, abi; meum catenis  
Solvit bracchium te; at i, quo  
Pes ducit, trahunt ocelli,  
Namque si prehensa eris  
Hoc loco sacro, te humabo.

PUTRIA Di te servent – vindicabo –  
 Pro hoc bono – te strangulabo,  
 O possem! – feliciter! –  
 In birreto ut Satanas.

CSONGOR I, i, i, ne viderim te.

PUTRIA (*iens*) Non ibo, superbiae dum  
 Cornu ceperim tuae.  
 Par claudi cuniculi  
 Per virgulta ero latentis  
 Esis filiis novem.

(*Exit*)

CSONGOR Pulchra arbos, nova incola horti,  
 Hospes improvisa rara,  
 Caelum in parte, in parte terra,  
 Mirum opus manus ignotae  
 Me coram stans arido  
 Vitam, lucem, copiam atque  
 Somnum aspergis avido,  
 Qui possim, quonam modo,  
 Gazam spectem dum tuam,  
 Non pressari somnio?  
 Terram imam radix profunda,  
 Fertque vertex astra multa,  
 Caelum dum celsum ferit,  
 Pignus cordi ut forte sit,  
 Talis si sit flos, salutem et  
 Gaudium fruges fore.  
 Pulchra arbos, nymphae manus  
 Mirum opus, sic sis mihi!  
 Quid vident, a, oculi?  
 Dic, amoris os rosae par,  
 Hanc decoram quem vocem  
 Non terrenam speciem?  
 Caelo olor lapsus 'st remoto,



Lentum stridit ala cantum,  
Visa est, somnium ut beatum,  
Nunc expergiscens puella,  
Blandae agit quem aerae lacerta,  
Appropinquat ambulans.  
Haecine est, quem sum opperitus  
Palpitans tot mane corde?  
O, forte arboris satrix est  
Gaudiorum, gratiarum,  
Gazarum tot haec era?  
Frondis me tentoria,  
Abdite, o nox, me abde, cor,  
Me occulta, ne palpites, vel  
Perdes fortunae vias.

CARMEN

Somne, somne,  
Blande somne,  
Labere in quieta humo,  
Uni ocelli  
Sint aperti

Quaesto et quaerenti viro.

CSONGOR

Somne, somne, blande somne,  
Nunc, nunc ne me obduce morte.

*(Se abdit. – Tünde et Ilma veniunt)*

ILMA

O era, scis me levatam  
E terrae huius pulvere  
Nympharum a te in patriam altam,  
Nullam ob rem, nisi de erili  
Csongore usque garrituram,  
De pulchra coma atque ocellis,  
De statura regia eius,  
Deque labro pare mellis,  
Quod fert cantum et oscula.

TÜNDE

O potes garrire quantum.

ILMA

En iusta loquor de causa,  
Nam maritum hic dereliqui,  
Nomen cui est Ineptius.  
In maiore parte mundi  
Non manus tam est monstruosa,  
Dictu plus famis, sitis  
Cui est: si terra haec panis esset,  
Lunaque esset caseus,  
Iamdudum ambas devorasset,  
Non luna in caelo micaret,  
Nec pedi esset hic locus.  
Quodque adhuc pontus manet,  
Nullam ob causam est hoc, nisi quod  
Non vino spumans patet.  
En era, hoc caput scelestum  
Me statim pulsare coepit  
Terrens, dicens iri me esum,  
Escam ni ferrem sibi.  
Cognosse hanc ob rem velim nunc,  
Quousque his locis vagemur.  
Quod (non miror, si accidat),  
Forte ornatae reticellis  
Haerent vestes ad vepres,  
Namque sunt simillimae,  
Sique in ramo Ineptius  
Viderit, cornum putabit  
Me, petet citoque carpet:  
Tunc erit vitae meae vae,  
Vae mihi nymphae misellae!  
Ne dolore me excitaris.  
Ilma, ‘ Ilma! en me tueris  
Frustra e longinquo venire.  
Frustra hanc plantavi arborem  
Bellam in saevum pulverem,

TÜNDE

Dilectum meum invenire  
 Non possum. Arbor fert opes –  
 Summae opum Cupidines,  
 Pulchri visus somniorum,  
 Illecebrae horum pagorum,  
 O, non fertur tanta res.  
 ILMA Quid mihi dabis loquenti,  
 O era, intus abditum esse  
 Csongorem sub fronde erum?  
 TÜNDE Ilma, cur mi verba das?  
 ILMA Tunc amplecti me sine illum.  
 TÜNDE O felix, beata sors,  
 Quas tibi dem gratias!  
 ILMA Caeca fortuna est puella,  
 Gratias reddas mihi.  
 TÜNDE Hic cupidinum ultima es,  
 Introire autem tremo.  
 ILMA Si moraris, forte monstrem,  
 Ecqui possis invenire  
 Per ramos densos amorem?  
 TÜNDE Desine Ilma, illi, qui amat,  
 Emicant ocelli stellā;  
 Non tenebrae, obscuritas,  
 Erret etsi in nocte densa,  
 Abscondit delicias.  
 I, dum delectant me amores,  
 Mollio antiquos dolores,  
 Excita lusciniū,  
 Ut voluptates canat,  
 Dum nemo est, quin dormiat,  
 Cantu implens silentium.  
 (*Exit*)  
 ILMA Sit! sed quam pulchre minantur  
 Mala – immo talentiantur.

Non dest plus, vorari ut possint!  
Verminosum hoc penditat,  
Quodque malum est aureum,  
Nonne est vermis gemmeus?  
Aut me absente vermicellus  
Factus est Ineptius,  
Nuncque illic intus latet?  
O, quam taetre mi eveniret.  
Nolo malum verminosum.

*(Unum carpere vult, sed non potest)*

Ei, non nobis gignitur!

*(In interiorem partem horti cedit. Putria venit)*

PUTRIA      Somne maxime et devote!  
Evellere ter mei unguis  
Hos ocellos barbaros,  
Ter venenoso lavatos  
Rore eos recondidere,  
Lucis vermes indidere,  
Somno sunt capti tamen.  
At quid hoc, quae rara lux?  
Fulgent mala desuper,  
Inque molli lecto amoris,  
Ei, sopita est illa nympa,  
Densis aureis comis  
Fusus pulcher iuvenis  
Somniat vitam beatam.  
Non, non, non possum pati,  
Invida et pulsa ultione  
His comis damnum feram!

*(Tünde et Csongor in lecto caespitis, infra arborem  
partim occulti frondibus videntur. – Putria clam ad  
Tünden subit et cincinum scindit de coma eius)*

PUTRIA      Prendi, prendi! ‘ His ocellis  
Fundam filiam meam.

Csongor spectet et fallatur,  
Amplexu eius sopiatur,  
Regnaboque tunc ego.

*(Exit)*

ILMA (*veniens*) O di! iam lux appetit,  
At nos in terra moramur;  
Hicque vita quam molesta  
Est illi, qui numquam amavit.  
Ast illi, quem numquam amarunt!  
O quid specto? Irata Tünde  
Surgit atque territa.

*(Tünde et Csongor veniunt)*

CSONGOR (*exorans*)

Tünde, nil plus hic moraris?

TÜNDE Mitte, Csongor, non licet.

CSONGOR Non te amor ligat meus?

TÜNDE O, amor me pellit inde.

CSONGOR Auferes vitam meam.

TÜNDE Hic linquam vitam meam.

CSONGOR Tünde! Tünde! vix in astris  
Pulchrūm ocellorum, genarum

Vidi in aurora tuarum

Incendi caelos meos;

Qui cordi sunt vincula,

Cirros, intacta et labra

Vix potentem deperire,

Tünde, opus 'st me cedere?

TÜNDE Vix spectare te potens,  
Primam lucem fidi amoris

Et rosam cupidinum,

Optatam gazam diu –

Ignotis tuis lacertis

Osculisque non expertis

Evello cor nunc meum.

CSONGOR Me cruentum –  
 TÜNDE Mi cruentae  
 Ipsae nil medebitur.  
 CSONGOR  
 Cum sole in tuis labellis  
 Voxne haec mortis orta, Tünde?  
 TÜNDE Ne morer, dimitte me!  
 CSONGOR Quid te pellit, corculum?  
 TÜNDE Csongor – num dicam tibi?  
 Est quaedam maligna pellens,  
 Nostrae amoris qui est et hostis  
 Praevalens conubii.  
 Sensi, sensi maximam vim –  
 CSONGOR Non videbit oram lucis,  
 Dic, quisnam sit? Ense figam,  
 Altius mari in profundo  
 Illam, tamquam plumbum humabo.  
 Dic, malignam nomina!  
 Haec –  
 TÜNDE At incassum rebellas.  
 Non nocebit dextra fortis  
Ei, qui clam facit scelus.  
 Hanc vide arborem, esset arbor  
 Gaudii; speravi ego  
 Hic amoribus beatae  
 Nemini que perturbatae  
 Expleri cupidinum  
 Somnos in tuis lacertis,  
 Quas voluptates iacentis,  
 Quot sub umbra noctium!  
 Ecce, prima nocte iam  
 Furtivae nocent manus;  
 Illis, qui damnum volunt  
 Vi, ludo risuque sunt

Proditā arcana hostibus.  
 Patriam petam longinquam,  
 Gaza absportatur mea,  
 Solitudinis diebus,  
 Dum in meo sunt corde fletus,  
 Pro te angar, pro te dolore  
 Infando vivam obruta.  
 CSONGOR Vocem unam mi linque, Tünde:  
 Illa ubinam est patria?  
 TÜNDE O, dolorem ne nova:  
 Pennas quamquam aves habent,  
 Non possunt volare eo,  
 Amnis cursum quamquam habet,  
 Sed non currit adeo.  
 Rugiens procella pergit,  
 Dumque Hesperiam petit  
 (Beatam aulam, quam incolit  
 Noster solus angor), pendit  
 Vix anhelans iuvenilis  
 In sinu rosae, utque mitis  
 Aura, suspirans perit.  
 Parva odoro labro apis,  
 Quae sinus rosae recentis  
 Cunā somnians movetur,  
 Non expergiscit procellam  
 Saeviisse suspicata,  
 Qua frons est parum inclinata.  
 Sic, quo non pernix avis,  
 Turbo, flumen pervenit,  
 Care, qui venire posses,  
 Exsul pro me sortis esses!  
 CSONGOR O, cor mergitur dolore  
 Te videnti et audienti,  
 Sola inops est cogitare

Mens te tantam mi fuisse,  
 Esse nunc hic, nec futuram.  
 Ultimum circumspice:  
 Hoc si caelum est, haec si terra,  
 Tünde, a me videberis!  
 TÜNDE Nunc, post numquam temporis.  
 Csongor, ne immemor mei sis.  
 Fidus hoc in corde amor,  
 Ut frons insita alibi  
 Ver novum exspectans apricum,  
 Ex anno inque annum exspectabit –  
 Csongor, en nox praeterit.  
 Fati pellit inde me vis,  
 Iam vale lugubre dicit  
 Tünde gaudio et tibi.  
 (*Exit*)

CSONGOR An fuit? an somniavi?  
 Flebilive visu noctis  
 Me irretivit fabula?  
 A, quis illa? – Caia, resta,  
 Caia, quaeso!

ILMA (*veniens*) Ilma, quaeso.  
 Non par est tam agreste nomen,  
 Tünde quam incolit, domūs.

CSONGOR Ilma tunc –

ILMA Ancilla vestra.

CSONGOR Si tam dura era est tua,  
 Me vocante tu, Ilma, resta,  
 Dic, beatam ubi requiram  
 Claram aulam in Hesperia.

ILMA Csongor care, ignosce, ere,  
 Me vocat iam Lucifer,  
 Nonne tempore est opus  
 Parvulo, dum fiam olor.



Scis in aestu carpere  
 Aethera esse non bene.  
 CSONGOR Ilma, quid garris iocosa?  
 Qua pergam, tantummodo:  
 Solis versus ortum aut casum –  
 ILMA “Plano in prato trivium,  
 Laeva, dextra in avium,  
 Ad finem fert medium.”  
 Csongor, sis felix, ere.  
 (*Exit*)  
 CSONGOR Heu, quam sum solus relictus!  
 Lux divorum somniorum,  
 O, cito obscuranda tantum,  
 Cur diluxisti mihi?  
 Nunc luci adsuetis ocellis  
 Hae tenebrae, noctis umbrae  
 Tam graves sunt, tam horridae.  
 Soli incumbit atra nox,  
 Nulla lucet Luna mitis,  
 Dum salutem inveniam  
 Derelictam, Tünde, tete.  
 Caelum, vastum, inane sis,  
 Terra, esto deserta: corde  
 Desertum immensum patet  
 Intus pervagante amore  
 Per ruinas gaudii. – Sed  
 Quid commentor hic? Eo;  
 O, senex pater, vale,  
 O, mater senex, vale,  
 Forte flebitis me, at unquam  
 Me non hic videbitis.  
 In beatā aulā mea  
 Surget lux, Hesperīā:  
 Ut procella, eo usque portant

Eius me cupidines.  
Dum illam seruent bracchia, ulla  
Vita non est mi aut quies.  
(Exit)

## PLANUM

(Trivium in medio. Daemones ex tribus partibus veniunt.  
Primum Tumax vulpeculam trans scaenam cogit.)

TUMAX Heus, eho! ‘ eho! ‘ eho!  
(Exit)

MURMAX Heus, Grunnax!  
GRUNNAX Murmax, eho!  
MURMAX Quid quaesīsti?  
GRUNNAX Quidve nactus ’s?  
MURMAX Crus citelli.  
GRUNNAX Fulicae ossa.  
MURMAX Vilis cena.  
GRUNNAX Egenaque.  
MURMAX Rursum, rursum, rursum age.  
(Exit)

GRUNNAX Cursum ego hunc, tu illum cape.  
(Exit)

TUMAX (*extrinsecus*)  
Heus! vulpes, eho, ‘ eho!  
Crus momordi iam tuum,  
Obrui tuum cavum,  
Heus! vulpes, eho, ‘ eho!  
(*Murmax et Grunnax veniunt*)

MURMAX Quid quaesīsti?  
GRUNNAX Quidve nactus ’s?  
MURMAX Sustuli ovum, sustuli.

GRUNNAX Fac, fac id notum mihi.  
 MURMAX Maculosum.  
 GRUNNAX Ovum venustum.  
 MURMAX Strix senex, ovum vetustum.  
 Nido sedit somnians:  
 “Quam post portam femina  
 Vivit (flava et pallida),  
 Pulsat furcifer vetus  
 Iam ternis ter noctibus”;  
 Dormivit, mox corrui,  
 Dorso pulex latuit.  
 GRUNNAX Illumque edisti.  
 MURMAX Immo sevi.  
 GRUNNAX Pullulabit.  
 MURMAX In strige est.  
 Pullum hunc esse somniavit.  
 GRUNNAX O senilem stultam anum!  
 MURMAX Ovum subtraxi illi furtim,  
 Pennasque evelli ipsius.  
 GRUNNAX Numquam audita mira res.  
 MURMAX Octo pullis incubabit,  
 At volatui qui inepti  
 Rependo repent miselli,  
 Pinguisque illi cena edentur.  
 GRUNNAX Haud vorent, magis vorentur!  
 MURMAX Quid quaesisti, quidve nactus ’s?  
 GRUNNAX In cicuta scarabaeus ’st  
 Caerulus.  
 MURMAX Fac notum.  
 GRUNNAX Captus ’st,  
 Cum ire coepit.  
 MURMAX Num attulisti?  
 GRUNNAX Bos sub clivo est pasta – misi  
 Indu eum, per quem periret,

Ex quo pessum lac suum iret,  
 Vitulus lacte interiret.  
 MURMAX Pinguis cena illic edetur.  
 GRUNNAX Haud voret, magis voretur!  
 MURMAX Rursum, rursum, rursum age.  
 (Exit)  
 GRUNNAX Cursum ego hunc, tu illum cape.  
 (Exit)  
 TUMAX (*extrinsecus*)  
 Heus! vulpes, eho, ' eho!  
 Aut vora me, aut tu vorare,  
 Ungue nostro lacerare.  
 Heus! vulpes, eho, ' eho!  
 (*Murmax et Grunnax veniunt*)  
 MURMAX Strix senilis me expulit,  
 Illa erat strix Putria.  
 GRUNNAX Bos senilis me expulit,  
 Illa erat bos Putria.  
 MURMAX Ova octo namque omnia hausit.  
 GRUNNAX Uberem ad cruorem suxit  
 Vitulus.  
 MURMAX Terrore fugi  
 Protinus, ovumque rupi.  
 Nil edendum, nil bibendum.  
 GRUNNAX In fame et siti est iacendum.  
 TUMAX (*vulpeculam cogens venit*)  
 Clauda vulpes, heus, eho!  
 Vix spirare possum ego;  
 Me momordisti, te edo:  
 Clauda vulpes, heus, eho!  
 (*Vulpem capit*)  
 MURMAX Quid quaesisti?  
 GRUNNAX Quidve nactus 's?

TUMAX (*vulpem monstrans*)

Vulpis caro,

Pulli caro!

Vulpes ventre hunc condidit,

Risum quaesita edidit.

Nunc eam prendi atque edemus,

Busto ventris obruemus.

MURMAX O, quam nuptiae celebres.

GRUNNAX Pulli erunt ex vulpe carnes.

TUMAX (*vulpem omittens*)

Vulpis caro,

Pulli caro,

Ne fugito!

OMNES (*vulpem prosequentes*)

Clauda vulpes, heus, eho!

(*Exeunt*)

PUTRIA (*veniens*)

Vulpina exi filia, exi,

Eveni! –

Nuper perturbata sum,

Vultum filiae ex pavore

Vestivi in vulpis cutem,

Atque in dumeto reliqui;

Iam pubes est, sic opinor.

Nunc eam reddam puellam,

Aurea coma consternam,

Peribitque amore Csongor.

Vulpina exi filia, hic sis,

Eveni! – quin inveniris!...

Forte in villa insequitur

Cor pulli, anseris iecur.

Vulpina exi filia, exi,

Eveni! –

(*Virgulta crepantia agitans exit.*)

*(Tünde, Ilma veniunt)*

TÜNDE

Hoc loco, Ilma, moriar.

ILMA

Ne sis mortua, o era,  
Nil sepulchro est hic loci.

TÜNDE

Est dolor damni mei aequor,  
In quo maeror est procella.

ILMA

Aequor est mutabile.

TÜNDE

Non item damni dolor.

ILMA

Conquiescent et procellae.

TÜNDE

Vis maeroris non item.

ILMA

O, id omne fit modo ex hoc,  
Mortalis quod ipsa non es.

TÜNDE

Ilma, quidnam agam, cedo!  
Iam non consulit meae  
Mens incredula animae,  
Aegrotat cor usque eo.

ILMA

Hoc agis percallide,  
Quod sententiam rogas me,  
His in terris, o era,  
In quibus non nata es, ut sum,  
Nam in stella Arcti procreata es  
In rosae quondam arbore;  
Inde te evellit procella,  
Csongoris sinu es erilis  
Experrecta et excitata,  
Delectata et cruciata!  
Men rogas iuvare te?

TÜNDE

Sicne me solaris, Ilma?

ILMA

Pergam, audi: parvum est opus.  
Csongorem hac scias erum  
Proventurum ad trivium.  
Hac ituras dixi ei nos.

TÜNDE

Id quid ad me est usui?

ILMA

Ponamus signum in via.

TÜNDE Ilma, dic, cara Ilma, quid  
Signi?

ILMA Calvam mortui.

TÜNDE Horrebit.

ILMA Calvam spei.

TÜNDE Qualis illa?

ILMA Audito era: –  
Linque hic signum digiti  
Minimi – signat minor iam  
Maiorem *esse* digitum.

TÜNDE Si possem, relinquerem, Ilma,  
Animam pro pignore.  
Socium hunc si sumere  
Posset, mi advolaret cum illa. –  
O, neque hoc esset bene;  
Animam meam si haberet,  
Festinans mi non rediret,  
Ut fractam non litori  
Est inani navem opus  
Festinare: non doloris,  
Qua nec spes iam sperat, oris  
Regni deserto obruti.

ILMA Mitte mentis pondera,  
O venuste flos, era.  
Quid sit signum, iam scio.  
Pura arena est in via,  
Parva in qua vestigia  
Csongoris sunt cuncta ocellis  
Astra eri ducentia.  
Iam pedem tuum cedo,  
Imprimam sine hunc arenae.

TÜNDE En vestigia, Ilma, nostra.

ILMA               Atque ego vestigia et  
                       Longam aurem imprimo: viri  
                       Insigne est Ineptii.

TÜNDE             Emicatque et scintilla in tenebris:  
                       Spes, me parce linquere.  
                           (*Exit*)

ILMA               Heu, heu! En Ineptius hians in agris;  
                       Haec salus 'st, abscurrere.  
                           (*Exit. – Putria et daemones veniunt*)

PUTRIA            Pro, me defecisse vota!  
 MURMAX           Visne vulpem, Putria?  
 PUTRIA            Qui illam ederis, rabe!  
 GRUNNAX         Visne vulpem, Putria?  
 PUTRIA            Incendatur sanguis in te,  
                       Arde hac re, velut geenna!

TUMAX            Vulpes, vulpes clauda, eho.  
                       Vin carnem eius, Putria?

PUTRIA            Ex somnis tuis ululet,  
                       Quam tu edisti, nebulo!

OMNES  
 PUTRIA            Visne vulpem, Putria?  
                       In vobis ferrumentur  
                       Frusta in iram singula;  
                       Vos flabello verberet  
                       Odium, invicem instiget;  
                       Devorent vos iurgia.  
                           (*Exit*)

MURMAX           A, calorem hunc!  
 GRUNNAX                                     Ardeo, vae!  
 MURMAX           Verbero, Tumax, Tumax! te.  
 TUMAX            Mordeo, Murmax, Murmax! te.  
 GRUNNAX (*ad Murmacem*)  
                       Tunde eum, caro est maligna. –  
                       Ardeo, vae!

MURMAX                                     Qui calor, a!



GRUNNAX Caede, mitte tundere.  
TUMAX O Molosse, vix pote.  
MURMAX Te confringo.  
GRUNNAX Teque pinso.  
TUMAX Vosque morsu et ungue scindo.  
MURMAX Ecce calceus, cape!  
GRUNNAX En flabrum, genas pete!  
TUMAX Meque, pallium, tege.  
*(Praeripiunt invicem aliis bona litigiosa)*  
MURMAX Obsiste isti!  
GRUNNAX Dirue!  
TUMAX O Molosse, vix pote.

FINIT ACTUS PRIMUS

## ACTUS SECUNDUS

### REGIO TRIVII

CSONGOR    Hoc erroris trivium,  
              Hacine est iter meum,  
              Qua quaerendum radium  
              Ilma ait vitae meae esse.  
              Certa ad finem media,  
              O, sed quaenam hic ad latus fert?  
              Quae fert ad finem via?  
              Concurrunt illae loco uno  
              Tranquillae parvoque puncto,  
              Quarum inter porrecta fines  
              Regna quot, quot aequora!  
              Forte vel nusquam loci exit,  
              Infinite fert via,  
              Vitam absumit, littera  
              Scripta in glacie ut liquescit?  
              Specto fines triviales,  
              Orbem ut vatis, hic coire;  
              Tractant, nutant, instigant spes  
              Et cupidines me inire.

*(Inscendit trivium)*

O quantus visus! Mundus agmen est.  
Quam parvi pulveres vivunt, scatent.  
Mihi at qui sunt peregrini obvii?

MERCATOR *(veniens)*

Ambae vicinae mi sunt Indiae,  
Me iam navesque cuncta litora  
Mundi novi cognoverunt meas.  
Haec denuo! et portabo in sacculo

Terrarum gazas partis maximae.  
Quid obseretur tantae gratiae?  
Transvertitur nox in dies, dies  
In noctem vi mea divina, amor  
Ligatus aureis vinclis erum  
Me immittet clandestinis ianuis;  
Voluptatis fons, lucis, gaudii,  
Domus mea exceptura est hospites,  
Quales mihi cupit cor, mens cupit.

CSONGOR Sta.

MERCATOR Pecuniam vis? Suda, inquire: habebis.  
A me datur modo illi, qui laborat.

CSONGOR Alid rogo te: curas ut reponas.  
Locis vagaris multis navibus  
Confertis, solis casum ortumque scis.  
Dic: aula in Hesperia ubi est beata?

MERCATOR O esne morbo affectus? Sed cave  
Te in terra Nympharum exstinguat fames!  
Nympharum regna sunt meo in sinu,  
Hic sunt spectanda, hic, indaga, veni.

*(Iens)*

Affectus 'st taedio cibi hic puer,  
Stellarum sentit nunc famem miser.  
Avens permultum! stella nam est procul,  
Superne valde! – an est argentea?

*(Retrorsum clamat sinum percutiens)*

Hic est Hesperia, hic, vide, hic fero.

CSONGOR Metalla nummi frigida! Omnibus  
Gazis tuis amoris non darem  
*nomen* – cor ustum sit, quam frigidum.

REX *(veniens)* O Iuppiter, Deus, quisquis vocaris,  
Partitus hunc mundum cur non creasti  
Terram nostram maiorem, quam patet?  
Non tam pusillum, ut cum omnis sim potitus,

Opus sit me a solis luce abdere,  
A magno me, frustorum acervi erum.

*(Ad exercitus suos)*

Ad solem ortum vos, vos ad occidentem!  
Meam extendant enses tyrannida,  
Ut sol exurgat hic, dum ibi cadit,  
Mi serviens, et territorium  
Meum, exsisto dum, noctem ne intuatur.

CSONGOR

Sta!

REX

Pulvis tu, quem pes terit meus.

CSONGOR

Non pulvis, si vir, sicut ipse tu.  
Vel pulvis atque vir, ut ipse tu.

REX

Si es pulvis, quid vis? ne tempus teras.

CSONGOR

Unum rogo te. Tu longe potiris,  
Nec regnum ingens noctem novit tuum.

Dic, quo sit vadendum in Hesperia

Beatam aulam assecuturo mihi.

REX

Heu! mentis avolabit hinc avis,  
Inanis nidus ventis sibilat.

Beata aula, Hesperia? O, forte si

Volare possem, ut cogitatio,

Iubar vel in caelo vagum, altera

A stella ad alteram; se dederet

Mi, quicquid est. – I, i, puer bone.

Ibi est Nympharum terra, ubi sum ego.

Adsciscere ad me miles. Non placet?

Vel i. Si huic incidas regno, occupabo

Virosque ibi omnes vinclis vinciam.

*(Secreto)*

Miser plorandus 'st: irritus peribit.

Meo in bello mortem quam pulchram  
obiret!

*(Exit)*

CSONGOR

Contempsit ille, hic et superbus est.

O serve servūm! quid prosunt tibi

Gaza et potestas? – En scientia  
Immerso in alto ipsius lumine  
Venit, cui ut liber, mundus patet,  
Et ille, sicut qui ex memoria,  
Legit, quod inscriptum est, continuo –  
Vel quod putanti inesse dest tamen.  
Videbo: aula est beata nota ei  
Forte et salvabit me consilio.

SAPIENS (*meditans venit*)

Deus – vis est; necesse est fieri  
Mentem et vim, vel magis vim solam eum:  
Mens ipse vis est, quae regnet. Quid est  
Vis? responde, natura, si potes.  
Opus, quod fecit, sensi; ipsum parum.  
Vis an deus? quae vox est verior?  
Voces occidunt nos et nomina!  
Deduxi ad elementa milies  
Naturam pervagatus; mentibus  
Iam lanxit cogitatio: dei  
Non iam recordor. Quid sit quemve eum  
Vocare debeam, qui scilicet  
Laborarim die, noctu hanc ob rem,  
Ut dicerem nunc nosse me nihil.  
Tamen hoc “nosse nil” est potior  
Omni, qui censent nosse se, grege.

CSONGOR

Mirum et simplex genus scientiae  
Exercet ille dicens: “Nescio”.  
Nescit nisi hoc. Multa non est opus  
Re vera cogitatione sic,  
Et impedimentum omne fugimus.  
Homo, ‘ homo capte ipsius amore.

SAPIENS

Et spiritus! – qui cogitat, cupit,  
vult et fingit, laetatur et dolet;  
Constructor mundorum intus, haud secus

Demolitor cunctorum, quae struit;  
 O spiritus! hunc dico, qui facit  
 Nos gentem humanam, sed non novi eum.  
 Ego ipse sum – quis est is? nescio.  
 O, cur non mens manum tendens capit,  
 O, cur non spiritus potest capi?  
 CSONGOR Immanis vir! deumque et spiritum,  
 Ut pulverem viator, decutit;  
 Noctem tristem ex mundo pulchro facit,  
 Ne spectet, dum cuncti fiant nihil!  
 O, non Hesperiam monstrabit hic.  
 Amor meus, dormi: lux nondum adest.  
 SAPIENS Quod est nunc, ipsum et ultra vitam erit!  
 Credam? sero; avolarunt somnia.  
 En in via exspectat me iuvenis,  
 Homo quidam, par stirps gentis meae.  
 Fortasse disceret? certe offero,  
 Discipulos invenire gaudio est.  
 (*Ad Csongorem*)  
 Dic, scire quid velis, o iuvenis!  
 Pusilli quot mundi solem ambient,  
 Crinitae quot, quot stellae erraticae,  
 Quod gens humana novit usque post  
 Ut vixit et scripsit – prodam tibi.  
 Quot species terrenae a vermibus  
 Ad hominemque et usque beluas,  
 Portenta alit quae gurges; quidve sit  
 Fulgur, tempestas, quidve pluvia,  
 Vel quo modo naturae corpora  
 Sint dura detorta humana manu,  
 Ut vitae aut mortis instrumenta sint?  
 Scio omnia, omnia, – unum denique –  
 CSONGOR Non multum te rogo, sed omnia:  
 In Hesperiam tendit spiritus.

Rogavi iam potentem et divitem,  
 Neque ullus dixit: tu dic, sit ubi,  
 Expande gazas mi scientiae.

SAPIENS O regna Nympharum poetica,  
 Malum! pulcher somnus 'st infantibus.  
 Somno excitare, vel, si somnia  
 Malis, redi ad somnos, quos videras.  
 Nam veritas spes falsa est –

CSONGOR Perdere  
 Cave me: alit cupido haec sola me,  
 Absque hac vita est desertior iugo  
 Nudo, quo ventus carduos agit.

SAPIENS Ita est. Occide tete ergo mari,  
 Solis videndi si te taeduit.  
 Aut vive ut vitae taedium fuges.

*(Exit)*

CSONGOR Et hoc est omne, pro quo vivitur?  
 Immane et obscurum atque inane cor,  
 Quam solitudo horrenda est sic tua!  
 Viatores mi non monstrant viam.  
 Idolum hic vilem pulverem tenet,  
 Mundum magis vult ille perdere,  
 Ut ipse solus illic imperet.  
 Et hic est monstrum maximum omnium:  
 Sicut mortem portant vivi pedes,  
 Sepulchrum pro corde ardenti gerit.  
 O stella amoris luceat mihi,  
 Ad Hesperiam me usque amor regat.

*(Pergere incipit)*

INEPTIUS *(veniens)*  
 Vae mihi!

CSONGOR Quisnam eiulat?

INEPTIUS Vae mihi! sum ramo adhaesus.

CSONGOR Qui es nunc hic?  
 INEPTIUS In terram lapsus  
 Fune rupto tenui.  
 CSONGOR Funestum esse tenui  
 Te. Quis sis, dic!  
 INEPTIUS Hei, ere  
 Csongor, me non esse notum  
 Paenitet, qui te en sciam.  
 CSONGOR Fieri potest.  
 INEPTIUS Erus quod  
 Tute es, vestifex ego,  
 Terrae vilis vestifex,  
 Scindo enim suoque terram.  
 CSONGOR Ergo terrae sartor es.  
 INEPTIUS Vestem spiceam induo.  
 CSONGOR Fallis tunc, falli cave.  
 INEPTIUS Non item; audi, prosequar.  
 In domo tua puella  
 Vixit Caiæ nomine,  
 Sponsa dudum erat mihi,  
 Tunc repente alis volans  
 Me, sacerdotem velut  
 Ad signum vulgus celebre,  
 Fugit et solum reliquit.  
 CSONGOR Fascia furoris ergo  
 Maeroris collum ligasti  
 Hanc ob rem?  
 INEPTIUS Solam hanc ob rem.  
 CSONGOR Sic furor nudatus est.  
 INEPTIUS Sic, et funis ruptus est.  
 CSONGOR (*secreto*)  
 Forte fatuos iuvari  
 Fama est, nec mendaciter.  
 Hic erit comes mihi. Dic,



INEPTIUS Cur non cedas ad aratrum?  
Ne contristes! mi est agellus  
Barbarus discipulus,  
Accipit qui semina,  
Nec fructus fert, at – acanthos  
Duros, viles urticas,  
Ingratam feramque avenam.  
Spinetum tam carduis est  
Arduus, velut harundo,  
Vulpes Orci intus latet  
Et venenosā lacertā  
Luctat; larvae mas draconis  
In nido rugit sedens.  
Incomptus, visu horridus,  
Mater ut diaboli  
Correpta et comas procellā  
Vulsa...

CSONGOR Mitte; nunc videris  
Odisse istum iam satis.  
Prone si illic lapsus esses,  
Praeceptus invitus cubasses  
Fuste saltante insuper,  
Odisses nihil magis.

INEPTIUS Sane, sane, feci ita.

CSONGOR Pro regressu nil gemiscens  
Prode, iturus quo sis ergo?

INEPTIUS Caiae vestigia pressam,  
Suspendamque eam repertam.  
*Hanc* non lapsuram scio.

CSONGOR Tres tunc laberemini.

INEPTIUS Terrae sustentat vigor.

CSONGOR Nominaris quis?

INEPTIUS Iocanti

Est Ineptius, honeste

Fossius nomen meum.  
 CSONGOR Audi Inepti, Caia coniunx  
 Nil plus Caia, at Ilma dicta  
 Habitatum Hesperiam  
 Concessit.  
 INEPTIUS Sic ergo?  
 CSONGOR Sic.  
 Beata aula quīs locis  
 Nympharum sit, forte scis.  
 INEPTIUS Sane! multis in fabellis,  
 Libris forte horoscopis.  
 At, sed... Caia versa in Ilmam,  
 Versa in Nympham Caia sit?  
 Credo, in corvam forsitan?  
 In Nympham? Credi nequit.  
 CSONGOR Me ergo comitare, Inepti!  
 INEPTIUS O, libenter, quam libenter.  
 CSONGOR Pergamus Nympharum ad oras,  
 Lucet Tünde clara ibi.  
 INEPTIUS Clara ibi –  
 CSONGOR Quid contemplaris  
 Mirabundus?  
 INEPTIUS In arena –  
 CSONGOR Quidnam?  
 INEPTIUS Aselli repperi aures  
 Et bovis vestigia –  
 Ilmae ni sit, moriar!  
 CSONGOR Euge ‘ eu, pedesque Tündes,  
 Cuius tales ceterae?  
 Pulchritudinis qui est oris  
 Incola, ad portam pudoris  
 Sic procedit pes amoris,  
 Ne expergiscat, leniter,  
 Ut quiescat suaviter.

Gaudium intrat talibus  
 Corda maesta pedibus,  
 Cura dormit similis  
 Fletu exhaustis pueris,  
 Non expergefit neque audit  
 Hospitem intrare ireque.  
 INEPTIUS Ursa montis tramites  
 Talibus peragrat plantis,  
 Sic surrepit ad ovile  
 Canneo pariete vile,  
 Dumque totum pervagat,  
 Pastor ebrius cubat,  
 Somnulentus, in casa  
 Barbatum volvens ita  
 Sagum – scorteam volo –,  
 ut gemant supposita.  
 Non expergefit neque audit  
 Latronem intrare ireque.  
 CSONGOR Pes hic cor videri possit,  
 Tam pusillus, tam venustus!  
 INEPTIUS Pes hic pes videri possit,  
 Non tam vastus dummodo esset.  
 CSONGOR Hic fuisti, Tünde! Tünde!  
 INEPTIUS Comprehendere ministro,  
 Quid loquare, ere, decet.  
 Dicin Tünden?  
 CSONGOR Luce natam.  
 INEPTIUS Forte fulgur illa sit.  
 CSONGOR Stella.  
 INEPTIUS *Hamaxae* est haec *polus*:  
 Axis plostri.  
 CSONGOR Qua sine  
 Mundus est hic tumulus.

INEPTIUS Est cadaver. Hoc quid est,  
 Quod scalpis scuto in tuo?  
 CSONGOR Exemplar plantae pedis.  
 INEPTIUS Pesne Tündes esset id?  
 CSONGOR Hoc adora pro salute.  
 INEPTIUS Falleris; signum est manus.  
 Praeceptis ivit forte Caia,  
 Inque arena exempla plantae  
 Hic, ibi mansere palmae.  
 CSONGOR O Inepti, qualis est pes!  
 INEPTIUS Cum dedit mi colaphum,  
 Caiae est sic vestigium.  
 CSONGOR O, manus hoc duriores,  
 Ceteri pedes – plantae ursae.  
 Hoc ego in scuto geram,  
 Dumque formam acceperim,  
 Non quiescam, haud dormiam.  
 INEPTIUS Ipse Caiae plantam ego  
 Quodam in assere geram –  
 Scutum fit ex ianua.  
 Heu, sed haec est *vera* planta:  
 Non recepit asser omnem!  
 Sed quod forte deerit,  
 Addam cogitatione.  
 CSONGOR Num venis?  
 INEPTIUS Eo, volo!  
 At – quo?  
 CSONGOR ‘ Usque Hesperiam.  
 INEPTIUS Heu, pedes mi deterentur,  
 Tam procul dum prodeam.  
 CSONGOR Dat beata aula otium.  
 INEPTIUS Corpus dum mucos inundat.  
 CSONGOR O Cupido, sis procella,  
 Aufer memet, arripe.

INEPTIUS      Sella egens est, vile plostrum,  
 Nil loci est Ineptio.

CSONGOR      Qui rugitus, qui mugitus!  
 Audin voces?

INEPTIUS                      Surditas  
 Ipsa audiret vel sepulta,  
 Ut thesaurus abditus.

CSONGOR      Quid mali sit, cerne.

INEPTIUS                      Ere,  
 Daemones tres rugiunt, qui  
 Orbi inter se caede luctant.

CSONGOR      Quot verbera!

INEPTIUS                      Tot vulnera.

CSONGOR      Vulnere os omne vigescit.

INEPTIUS      Tubere umerus tumescit.

CSONGOR      Non locus relictus ullus  
 Pugno aut ungui denuo.

INEPTIUS      Orphanus si est, ecce, daemon  
 Ipse quam insane perit.

CSONGOR      Dic aut nuta, ut prodeant.

INEPTIUS      Linguae si peritus essem...

CSONGOR      Linguan' Germani es peritus?

INEPTIUS      Non item.

CSONGOR                      Vel fratris ursi?

INEPTIUS      Quo candela exstinguitur?

CSONGOR      Sane ita.

INEPTIUS                      Unde fit procella?

CSONGOR      Sane.

INEPTIUS                      Plane nescio.

CSONGOR      Malum! forte intelligaris.

INEPTIUS      Heus gemini genii!  
 Huc, huc ite.

CSONGOR      Comprehendere hoc videntur.  
 (*Daemones certantes veniunt*)

MURMAX Calceum ipse –  
GRUNNAX ‘ Et flabrum ipse –  
TUMAX Numquam tradam pallium!  
GRUNNAX Non relinquam.  
TUMAX Non sinam.  
MURMAX Penicille tu.  
GRUNNAX Scabro tu.  
TUMAX Ibis tute extorum edax.  
GRUNNAX Tunde, dum praesto est tibi.  
TUMAX Mordeo te, extorum edax.  
INEPTIUS State.  
OMNES Te vorabimus!  
INEPTIUS Id fortasse omittite.  
Cedite huc, erus meus  
Vos, iuventae callidus flos  
doctus, cultus iudicabit.  
TUMAX Abdicabit.  
INEPTIUS Belua!  
GRUNNAX Tunde.  
MURMAX Mitte, est usui.  
TUMAX Forte alburnum tete habebit,  
Murmax, et squamas scabet,  
Sicut Slavus clamitat  
Pisce omisso: “Non scabam te  
Plus, alburne mi, redi!”  
MURMAX (*Tumacem verberans*)  
Bombax, bulla!  
CSONGOR Attendite.  
Quid litis vos inter exstat?  
TUMAX Dic, tu mule, dic, caballe.  
MURMAX Tace, bufo! calce tunso  
te. – Accipe et diiudica.  
Orbīs patrimonium  
Nobis unum hoc: calceus

Et flabrum est et pallium.  
 CSONGOR Parvae curae est. Pallium,  
 Ut domus heredibus,  
 Est minoris.  
 OMNES Non ita est, non.  
 CSONGOR Cur non?  
 MURMAX Audi protinus.  
 (*Tumacis dorsum percutit*)  
 Pallium exuas, Tumax. –  
 Est flabrum verbum moventis –  
 INEPTIUS Re vera satis moventis.  
 MURMAX Calceus 'st equus vehens –  
 INEPTIUS Heu, pedepressim vehens.  
 CSONGOR St, Inepti!  
 MURMAX Pallium  
 Abdit.  
 CSONGOR Id cur usui est?  
 MURMAX Quisquis hoc vestitus est,  
 Non a quoquam visus est,  
 Calceos ferit flagello,  
 Gressu vadit montis instar,  
 Quo cupit, ponit pedem.  
 CSONGOR Num videre me sinis?  
 MURMAX Sane! mi induite ea.  
 GRUNNAX Hic flabrum est.  
 TUMAX Sed te retento.  
 (*Manibus eum arripit*)  
 MURMAX Men vides?  
 CSONGOR In colle stas.  
 MURMAX (*induit sibi pallium*)  
 Num vides?  
 CSONGOR Non. Audio te.  
 MURMAX Eia, flabrum, ei, calcei!  
 Ecce, illic sim, ted apud.

CSONGOR Hicine es vere?  
 MURMAX (*pallium sibi exuit*)  
 En vide.  
 CSONGOR Hic es. –  
 Nunc scio, cur difficulter  
 Aut nullo partimini  
 Pacto: nam partim est habere  
 Turpe, opus simul quibus 'st.  
 MURMAX Plane.  
 GRUNNAX Plane.  
 INEPTIUS (*Tumacem feriens*)  
 Redde "Plane"!  
 TUMAX Plane tute haberis ursus.  
 CSONGOR Tres colles ad solis ortum  
 Tantundem distant procul.  
 Tam pares hi sunt, ocellos  
 Ut fallant.  
 MURMAX Ita est.  
 GRUNNAX Ita.  
 CSONGOR Audite edictum. Tribus  
 Quod teneri non potest,  
 Uni erit peculium.  
 Ante me nunc ponite,  
 Colles cursu scandite,  
 Qui prius revertitur,  
 Patrimonium huic datur.  
 MURMAX O quam doctus.  
 GRUNNAX Quam peritus.  
 MURMAX Hic flabrum est.  
 GRUNNAX En calcei.  
 TUMAX Non relinquam pallium.  
 MURMAX (*aufert a Tumace pallium*)  
 Discerpam te, nebulo. –  
 Nunc attende! Eritque primus  
 Laturus peculium.



CSONGOR      Esto sic.  
 GRUNNAX              Ad collem, atat!  
 (*Exit*)  
 MURMAX      Attatat, ad collem, atat!  
 (*Exit*)  
 TUMAX      Caudex, cursu rumpere!  
                 Expilabimur bene.  
 (*Exit*)  
 INEPTIUS      O ere, ecquid cogiteris,  
                     Csongor, possum tangere?  
 CSONGOR      Ēde.  
 INEPTIUS              Nonne iudicasti,  
                     Quidquid fiat, perdere orbos  
                     Opes, tollere optime te.  
 CSONGOR      Haec res sane mi placeret.  
 INEPTIUS      Ergo fac misericors.  
 CSONGOR      Ceterum demum hic peribo,  
                     Infinitam illam viam  
                     Tantum cogitatione  
                     Metiri valente. – Inepti,  
                     En volant, velut procella,  
                     Ilico iam praeerunt.  
                     O Inepti, eos retenta,  
                     Pro te dum rediero.  
 (*Aufert bona daemonum*)  
 INEPTIUS      “O Inepti, eos retenta.”  
                     Esset praeceptum bonum,  
                     Ni sonaret hoc “Inepti”.  
                     Vae mihi, meis ocellis,  
                     Hic currunt, hic iam volant,  
                     Quidnam agam, quo fugiam?  
 (*Currens dum prolabitur, tres daemones  
 in corpore eius pede falluntur*)  
 MURMAX      O caput meum!  
 GRUNNAX              O nates!

TUMAX Pallium meum! ei mihi!  
 Ite pessum perditte,  
 Fecistis egere me!  
 MURMAX Fur dilapsus est.  
 GRUNNAX Abīt!  
 Nostris raptis omnibus!  
 TUMAX Credidistin me profecto?  
 Ut cucurbita, stupetis  
 Nunc, quae enisa est arborem  
 Immatura et solis aestu  
 Cum caput deforme vastum  
 Coepit maturarier, iam  
 Frustra avet descendere.  
 MURMAX Heus Tumax, ludibrium  
 Mitte insulsum, prode nunc  
 Verba fascinantia  
 Patre a nostro tradita,  
 Et furem defer volantem.  
 GRUNNAX O fac, o fac: haec tibi sunt  
 opulens hereditas.  
 TUMAX Non facturum me liberet.  
 MURMAX, GRUNNAX Iugulari ten' liberet?  
 TUMAX O ago iam, o exigo,  
 Strangulare parcite!  
 "Devola cum pallio,  
 Calceis flagro meo,  
 Monte, fossa, in arbore  
 Horrido casu cade,  
 Fur, cohaere vepribus,  
 Side aquis et vallibus,  
 Linque cursum, decide,  
 Daemonum unguibus dare."  
 GRUNNAX Nunc age, exstirpemus hunc.

MURMAX Dilanimus te, minister  
False, ex dorsi pelle zona,  
Ex cane hoc te calceus fit.  
TUMAX Ungues tete avent mei.  
INEPTIUS Quidnam agam, quid mentiar?  
MURMAX Dic tu furis fur minister,  
Quo gressus tuus magister,  
Quo sit gressus furcifer?  
INEPTIUS Parcite, heus, me laedere.  
Non edi adhuc daemonem,  
Nunc edam, si laeseritis.  
GRUNNAX Quanti dentes.  
MURMAX Quanta bucca.  
GRUNNAX Prode, edic, quo sit profectus?  
Devians rota, ede, dic.  
INEPTIUS Quod vultis, mirum admodum est.  
Si quis raptus est equis,  
Non potest iam colloqui.  
Cursu equi vectus volat,  
Si est deiectus, hic cubat.  
GRUNNAX At quid actum est?  
INEPTIUS Fac quiescam.  
TUMAX Mentiturus.  
MURMAX Fare.  
TUMAX Dic.  
INEPTIUS Quem vos videratis, ille  
Febri est affectus repente.  
Aegrotare vidi ego,  
Indui illi pallium.  
Quid factum sit, creditisne?  
MURMAX Ecquid?  
GRUNNAX Dic quid.  
INEPTIUS Defuit.  
Ut morgana fata campis.  
Posthac nescio quid sit actum.

MURMAX      Texit illum pallium.  
GRUNNAX     At flabrum?  
TUMAX                             Vel calcei?  
INEPTIUS     Sane, sane, coepit ire,  
                  Falsus est pede, et rapaces  
                  Calcei abstulere eum.  
MURMAX     Heus homo, mentitus es nunc  
                  Capitis mendacio!  
                  Dic et duc illum sequentes,  
                  Aut vitae impotem te agemus,  
                  Dumque iter detriverit te,  
                  Ut mendici calceum.  
INEPTIUS     Forte scirem, pergeret quo.  
GRUNNAX     Si vis salvus esse, dic.  
INEPTIUS                             Quid  
                  Refert? supra me incidistis,  
                  Claudus debilisque sum.  
                  Irem, et non possum gradi,  
                  Pede fracto provehi.  
MURMAX     I nobiscum, te feremus.  
                  Ad caelum rotis reversum  
                  Hoc iacet petorritum.  
INEPTIUS     A plostrum meum misellum!  
MURMAX     Ascende hoc, et te vehemus.  
                  Monstra, quem locum colat.  
INEPTIUS     Sic iuvent binae rotae!  
                  Hoc agam – surae meae,  
                  Vae! – si ad dextram me vehatis.  
  
(*Secreto*)  
  
                  Nunc potentior sum: erus  
                  Csongor vectus vili equo est,  
                  Triga vectus ipse sum.

FINIT ACTUS SECUNDUS

# ACTUS TERTIUS

## PLANUM

*(Procul regia cernitur, ad quam semita inter frutices ducit)*

PUTRIA      Hic Aurorae regiae sunt,  
Hic est Nymphaeum nemus.  
Tünden, Csongorem tuentes  
Longe ocelli mi venire  
Nuntiant – hanc requietum,  
Hunc ut umbram, illam secutum;  
Necnon – quam sum fortunata! –  
Daemones, quos prosequor,  
Convenire. Commutabor  
In saxum nunc termini  
Turpe et asperum vetusque,  
Enarrarint si qua sponte,  
Callidā decrerint mente,  
Auscultabo ego omnia,  
Ut perdam consilia.

*(Se contrahit. – Daemones triga Ineptium vehunt,  
interdum capita nutant)*

INEPTIUS    Pax, Tumax tu! Dormiunt hi  
Tres sane, velut citelli.  
Dormiant, crescant bene.  
*(Descendens membra porrigit)*  
Attat! paene torpui!  
At nunc, frater, sane, Inepti,  
Daemonum sit ecquis usus?  
*(Repente mente concipiens)*

Sic erit, sic, hoc agam.

*(Trigam lente convertit)*

Hanc convertam nunc trigellam

Saxumque asperum vetus

Bracchiis ponam insuper.

Dein sinam, vel ambulanto

Usque amnem sicco pede.

Perge, fusce, perge, fulve. –

*(Daemones usque capitibus nutantes lente abeunt)*

PUTRIA *(paulum se tollens)*

Abscedo, sed hic relinquam

Alteram aurem verticis par,

Vae tibi, serve infidelis,

Lectum stratum habes apud me

Ex acanthis urticaque,

Stragulumque ex culice.

*(Exit)*

INEPTIUS Forte quisquam est quid locutus? –

Nemo. Sic! liber sum ego.

Heu, sed illic intuor quid?

Estne homo, estne micula?

Quantum repit fossa in ima.

Est erus. – Ipse, ipse Csongor!

O quantum est alte miser.

Infelix hic qui vagatur?

Crux malumque calcei

Attulere hunc quam repente.

Nunquam, nunquam! Perge, Csongor!

Perge, ere, huc!

CSONGOR *(veniens)*

Esne hic, Inepti?

INEPTIUS Eccum, quin vectus triga.

CSONGOR Me evasisse gratias dis.

INEPTIUS Calcein' te deiecere?

CSONGOR Nescio. Ut sensus, cito,  
 Radii ut mundos penetrant  
 Alteros, fines pererrant  
 Ex caelo, mundo altero,  
 Utrum veni an somniavi?  
 Atque apud me meque supra  
 Meque circum meque iuxta  
 Orbem quivi cernere.  
 Infinitum unum os patet,  
 In quo ocellūm milia;  
 Tamque ornata, daedala,  
 Vox non illa continet.  
 Est enarrare omnia  
 Culicis fremor apisque:  
 Supra, subter scatuisset  
 Cuncta mundi fervida.

INEPTIUS Quamque dilabi est acerbum  
 Hoc ex alto in pulverem!

CSONGOR Sane, hoc nemo scire quit,  
 Transgredi nisi altum expertus.  
 Quomodo, nunc narra, Inepti,  
 Tam cito huc perveneris?

INEPTIUS Qui me novit, non miratur.  
 In caelo inque sidere  
 Dum confuse curris, ipse  
 Vectus leniter triga  
 Processi strata via.  
 Quot cauponae, quot tabernae  
 Post erant et ante me!  
 Strata omnis caupona erat.  
 Poculorum myrii  
 Fulgent, sicut radii  
 Solis; quanta vox erat,  
 quot clamores! Non queo

Dicere; ira tympanorum,  
 Fulguris, vox tormentorum  
 Ad hoc – nil plus cymbalo.  
 CSONGOR Fortunate repperi te.  
 Immigramus in domum illam,  
 Nuntium indagabimus.  
 INEPTIUS Vel magis cenabimus,  
 Maxime potabimus.  
 CSONGOR Venter inexplibilis tu!  
 Tot post cauponas sitis?  
 INEPTIUS Qua re sum inexplibilis?  
 Nilo, at maximo quidem.  
 Sum modo ex mercede potus –  
 Dedecus tibi est! – aquam.  
 CSONGOR Tempus solvet copiam.  
 Audi, Inepti, stabimus nunc.  
 INEPTIUS Sic puto; duas puellas,  
 Parva vasa mellis ire.  
 CSONGOR O prior quantum nitet,  
 Motio eius quam decora.  
 INEPTIUS Malum! rica textit ora.  
 CSONGOR Ex argento aves – pedes.  
 INEPTIUS Purum, orbum genus vides.  
 CSONGOR Quae gracillima ambulatur –  
 INEPTIUS Maxime agros pervagatur.  
 CSONGOR Tam fugax it, tam levis,  
 Osculum quae mutuatur  
 Tamquam ab caespite aque flore,  
 Utque reddet, est timendum,  
 Hincque ne statim volet,  
 Ne fleat gramen desertum.  
 INEPTIUS Au! vepres eam tenebunt.  
 Personas duas nitentes!



CSONGOR Una est haec, ne dic duas,  
 Quamque post gredi putas,  
 Umbra est illius figurae.

INEPTIUS Huic menti est res mira durae!  
 Crassior re est eius umbra?  
 Est magis lata et robusta?  
 O ere, umbram eiusmodi  
 Complecti: sententia  
 Non par est ieiunii.

CSONGOR Tu loquela! noli hiare,  
 Mentis semilaequeatae  
 Hauri fruges, anserum escam.  
 I, dum semitam relinquat  
 Forma, quam sol luce pingat,  
 Antei genuque flecte.  
 Obsecra, precare pro me:  
 Prosternine me ore prone  
 Invisum sit an vetabor  
 Gratiae infandae ante sellam,  
 Sicut hospes et viator  
 Ipsam virginem ut rogem iam?  
 I, ne cessa, festinato.  
*(Tünde et Ilma veniunt)*

ILMA Patriam Aurorae hic haberi  
 Dixisti mihi, o era.

TÜNDE Sic se habet res, hic domus stat  
 Conflata ex spumis rubellis  
 Et coronata, Ilma, stellis,  
 Ultraque hic Nymphaeus hortus  
 Aurorae regnum est virentis.

ILMA Nonne id lusus est modo,  
 Sermonem viris vetari  
 Hoc in regno virginum,  
 Plus vetari verba blanda,  
 Oscula immo permutanda?

TÜNDE

Puram dicis veritatem.  
Virgo amans suos amores  
Cum prima allocuta erat,  
Erubescentes genae  
Factae Aurorā pulchriores,  
Inde quae puella amores  
His in regnis alloqui audet,  
Perdidit delicias,  
Perdidit vitae salutem,  
Quae velut fons montis alto,  
Currit, currit, nec recurrit.  
Verticem nisi poli cum  
Lucidus ferit  
Sol, Aurora ad regna longe  
Alia advenit,  
Furtivus per intimum hortum  
Introit amor,  
Unam suavem sed brevem horam  
Ludere sinor.  
O, et inde, et inde fato  
Sed praeceps agor,  
Quocum viverem beate,  
Desse mi queror.  
Csongor, o, meridiana  
Una mansit parva mi hora,  
Tuque longe est, usque longe,  
Mundi ut finis infiniti.

ILMA

Non fateri non queo  
Vix cunctis provinciis  
Tam stultum edictum inveniri.  
Non loqui ad viros puellam!  
Horridum dictu.

TÜNDE

Audin, Ilma,  
Quo loco sis, iam memento.

ILMA Abstineri qui queam?  
Flere me permitte saltem.  
*(Csongorem et Ineptium aspiciens)*  
A! misellam ancillam eorum.

TÜNDE Quem cerno illic, me beatam,  
Ilma, ‘ Ilma, Csongor intrat.

ILMA Rem quam acerbam quamque maestam,  
Hunc secuto Ineptio.

TÜNDE Quam lugubre quamque dulce  
Gaudium una cum dolore!

ILMA Optimum nonne est, era,  
Dum concessa est hora, amare?

TÜNDE Ilma, mitte, festinemus.  
Extra arcem domus sita est,  
Quam colit vidua casta.  
Nuntiabimus, loco  
Quo captet Tünden meridje  
Csongor. Perge, non ita  
Affectatę, quam forum itum.  
Perge, curramus.  
*(Ineptius ante eas genibus procumbit)*  
Vide, sed,  
O, virum esse –

ILMA Qui ‘ hiat.

TÜNDE Os siluri quantum habet.

ILMA Numne Csongor pulchrior est?

TÜNDE Est et partim simii par.

ILMA Attat, sane! – vir et ille  
(non sum irata), ut ceteri.

TÜNDE Ilma, dic mi, quidnam agam?

ILMA Nec pedem ipsa proveham.

INEPTIUS Nil ultra, mites columbae,  
Terminus genu meum est.  
Flos iuventae nobilis te –

ILMA Mobilis? feratur ergo.  
 INEPTIUS Hic manet, pro quo loquar.  
 ILMA O citelle tuve talpa,  
 Ecqui garris stulta tanta!  
 TÜNDE Ilma, non sinit gradi:  
 Obstat nobis angiporto.  
 INEPTIUS Forte affecit surditas  
 Te, flos pulchra, an erudita  
 Numquam es voces Ungricas?  
 Isti ori miti datur,  
 Quod mite ut pulli iecur  
 Est, tam nequiquam Venus,  
 Nequiquam tantus rubor,  
 Cuius crescat finibus  
 Ungricus numquam fremor?  
 Scire illud velim – Malam rem!  
 Aures mi neutra dat.  
 TÜNDE Ilma.  
 ILMA Quaeso.  
 TÜNDE Fer salutem.  
 ILMA Simius petit te?  
 TÜNDE O Ilma,  
 Non item! Bellissimus.  
 ILMA Vir est.  
 TÜNDE Naturae columna.  
 ILMA Quid rogas me, o era?  
 TÜNDE Hunc fac inde semoveri,  
 Aut sumus deperditae.  
 ILMA Pungam ut sit cruore sparsus,  
 Aestimo iturum retrorsus.  
 INEPTIUS O quanti ungues sunt decem,  
 Ungues sunt tales strigarum.

*(Unguibus Ilmae territus per angiportum procumbit)*

ILMA Prostratus, vide, est, era,  
 Nobis pontis praebet usum.  
 Vilis etsi; in statione  
 Dum stabo, transi tamen.  
*(Tünde transit)*

INEPTIUS Pulicis num saltus ille,  
 Culex pulsavitne dorsum?  
*(Ilma transit)*  
 Vae mihi culoque prorsum!  
 Maledictus carrus hic est.  
*(Rursus in genua se levat)*

CSONGOR Non possum abstinere plus,  
 Quin prosternamque ante eam me  
 Responsumque ipse audiam.  
*(Genibus nititur; Tünde et Ilma circumdatae haerent)*

TÜNDE Duxeris quo me, vide, Ilma!  
 Haesimus circumdatae nunc,  
 Servus hic, ibi est erus.

ILMA O rem atrocem! an dicat ullus  
 virginum vitam haud molestam?  
 Obiectum est genu in via  
 Sic, ut non possit fugi iam.  
 Verme morsa ut mala lapsa,  
 Sic virūm circa pedem obstant  
 Multa corda perfida:  
 Vadat, ne offendat pedem!  
 O, dedam me potius.

CSONGOR *(ad Tünden)*  
 Sol mihi obscure nibe,  
 Hauste nocte atra dies,  
 Dic, appellem quo modo te,  
 Ne cum lucem dixerō,  
 Nomen vile sit tibi.  
 Num taces? O quam velim esse  
 In tuis verbum labellis,

Suave arcanum semidictum.  
Dic modo hoc, ne torseris me.  
Nil silentio iacenti in  
Ore pulchro est pulchrius;  
Desertus, tamen remotos  
Caelos ostentans lacus.  
O sed etsi iam videre  
Portus floridos vetor  
Verborum, sinar iuvari  
Aure, voce implente cor.  
Nutan? Semovesne me inde,  
Ne cognorim, siam ubi?  
O te sic non miserente  
Qui gelu est par cosque qui?  
Perii! – at linquam tibi cor  
Pontem (ne sis tristior);  
Sed vide, qui transeas, nam  
Pontus est infra dolor,  
Tempestat suspirium.

*(Se levat. Tūnde et Ilma eunt)*

Nulla vox precesque nullae  
Hanc tenent; it, me relinquit.  
Ēde, caudex, ede, cautes,  
Ede, cos! qua laeseris  
Hanc re, quin respondeat?

INEPTIUS                    Men' vocas?  
CSONGOR                    Quemnam alterum, tu  
Rupes, cos deterrima;  
Quam te quassam, quam libenter –  
INEPTIUS                    Excutitur difficulter  
Cote ignis mala.  
CSONGOR                    O lutum, te  
Pinsam.  
INEPTIUS                    Per deos, cave!

Nullus est pons par mei  
Natus hac in parte mundi,  
Per quem caelites deae  
Transgressantur, transitant.  
Unus dicitur fuisse  
Par, quem Iacob somniavit,  
Quo fide certa proavo  
Gnatus est Ineptius.  
O, pedem illum!

CSONGOR Tun' ais?

INEPTIUS Dorsum transiit meum.  
O quantum pedem!

CSONGOR Tenellum?

INEPTIUS Quam tenellum!

CSONGOR Eratne parvus?

INEPTIUS Quam pusillum!

CSONGOR Eratne mollis?

INEPTIUS Sicut aura!

CSONGOR Qui gravavit?

INEPTIUS Suave, dulciter, titillans.  
Cuncta nostra membra mota:  
Cor, cerebrum, item iecur,  
Denique et –

CSONGOR Tacesne tandem?

INEPTIUS Et

Dorsum reddidit gementem,  
Tam gravavit – verberare  
Parce – non ipsa, umbra erat,  
Quae supposuit, ut gemat  
Et nunc erret inter ossa  
Tanta eius supposio.

CSONGOR O si Tünde erat – sed eius  
Quis mi nuntium dabit?  
Namque amor obmutuit,

Quem praeter nil fidum habeo,  
 Quod me ducat per viam.  
 Nescio, quid rerum agam.  
 INEPTIUS Est malum. Causa in pari heros  
 Abscindit gulam doloris  
 “Pro di immortales” gemiscens,  
 Et venuste deperit.  
 Mos est hic –  
 CSONGOR At ille mos est,  
 Te genu procumbere,  
 Propter quem me, dure serve,  
 Derelinquit sors bona.  
 INEPTIUS Parce!  
 CSONGOR Non item, refringam  
 Te ob tantam cladem meam.  
 INEPTIUS Verbum, vir clarissime, unum!  
 O, collo meo pedem aufer,  
 Repperi vestigium.  
 CSONGOR Repperisti quid?  
 INEPTIUM Meo est in  
 Dorso, terraeque in arena.  
 CSONGOR Signa quae, pedes qui blandi?  
 Uni habentur orbe mundi!  
 Illa est, illa est, Tünde transīt –  
 Gaudium, o! ne me necaris.  
 INEPTIUM Euge! quam bene est arenam  
 Inveniri omni via.  
 CSONGOR Sectare, i, fors invenimus.  
 Felix gaudii dies tu!  
 (*Exit*)  
 INEPTIUS Mortuus sum paene; refert  
 Nil! Panis, lardi dies tu!  
 (*Exit*)

(*Daemones currum cum Putria invehunt*)



PUTRIA           Sta!  
 MURMAX           Sta, heus, gradumque siste.  
 GRUNNAX       Filius nos perditos!  
 TUMAX           Cur non vulpes, quam vorarem!  
 MURMAX       Furcifer evanuit.  
 GRUNNAX       Saxum in nobis posuit.  
 TUMAX           Asperum saxum vetus,  
                   Sub quo coniunguntur angues,  
                   Mucidae ranae gemunt.  
 GRUNNAX       Evertemus sitque fractus.  
 MURMAX       Orco sit, qui insidit, haustus.  
 TUMAX           Usque mortem dormiat nil,  
                   Qui quietem in hoc capit.  
 PUTRIA (*se levans*)  
                   Eho!  
 GRUNNAX       Horreo, vae.  
 TUMAX                            Taedium quod!  
                   (*Grunnax, Tumax aufugiunt*)  
 MURMAX       Te videri taedio est,  
                   Te tangi fastidio;  
                   Sed te rpto, turpitude,  
                   Pro vectura solve nunc.  
 PUTRIA       O fili, incassum profundis  
                   Vim tuam pulcherrimam.  
                   An si te terrebo forte?  
 MURMAX       Una me terrere quit,  
                   Descende et noli haesitare.  
 PUTRIA       Unus quit me laedere,  
                   Scito, horre: est diabolus.  
 MURMAX       Scito, rumpe: sum ipse qui te  
                   Laedit, sum diabolus.  
 PUTRIA       Daemon vilis! sum ipsa quae te  
                   Terret, Putria vetus.

MURMAX Ei, fastidium!  
PUTRIA Cave ire:  
Etsi ut vertex utque fusus  
Vertuntur pedes tibi,  
Te senex ut cogitatum  
Assequar, perdam, ultionis  
Ut sententia, ilico te  
Ipsa Putria senex.  
MURMAX Fit, aut non fit; dic, velis quid!  
PUTRIA Albamne hanc vides casam?  
Iuxta arcem in colle est sita.  
Hanc colo nunc, munda visu  
Ut matrona vidua.  
Csongor, qui hac via vagatur,  
Cum his locis nil plus domūs sit,  
Migrabit parvam in domum.  
MURMAX Ei! potissime mei unguēs  
Invenire istum volunt.  
PUTRIA Mitte! qui vim fert locis his,  
Poenam dat. Scio bene,  
Fecerit quid damni; solvam  
Temperi, si attenderis mi.  
MURMAX Quidnam agam, dic.  
PUTRIA Sis minister.  
Quemque habet nunc, semove illum,  
Vestes indue hoc pares,  
Sis ineptus, garri, ut is,  
Ne circa se, quid novi sit,  
Csongor sentiat videns te.  
MURMAX Sensi, sensi, quidque plus?  
PUTRIA Csongor te meridie  
Quendam ducet claro in hortum,  
Hoc asperge pulvere illum,  
Dormietque ibi is, valeret

Hora quamquam somnii  
 Mundorum instar unacumque.  
 MURMAX Et quid ultra?  
 PUTRIA Crede mi;  
 Damnum solvetur tuum.  
 Perge nunc, sequar te ego ipsa.  
 MURMAX (*secreto*)  
 Non credo; sed obsequor, qui  
 Mercedem assequar meam.  
 (*Exit*)  
 (*Pellex gradu citato venit*)  
 PUTRIA St!  
 PELLEX Vocorne?  
 PUTRIA St!  
 PELLEX Quis est, heus?  
 PUTRIA St!  
 PELLEX Sane ibo; qua est eundum?  
 PUTRIA Heus puellula.  
 PELLEX Attat, o, o!  
 Me puellulam.  
 PUTRIA At iuvencam!  
 PELLEX Certo, non pares tui  
 Omnes vivunt, o anus,  
 Ut rugis contexta sporta.  
 PUTRIA Noli irasci, pupula.  
 PELLEX Salaputium! laborat  
 Non plus dente –  
 PUTRIA Tempera iam  
 Linguae, vitula, avicella.  
 PELLEX (*ridens*)  
 Nonne pulchrum est, o anus,  
 Agrum vultibus teneri,  
 Lentigo quo prisca floret,  
 Sicut virgo antiqua pura,

Barbam alit verruca? Vae,  
 Quam mira es tu species!  
 PUTRIA Fini sibilum anseris,  
 Fallax, lasciva et levis tu.  
 Te scio non tam malignam,  
 Ut te monstrent haecce verba;  
 Sed vide, anni sunt colendi,  
 Etsi ego rugis respersa,  
 Vivam fors tuam ad salutem;  
 Nam, puella, postea  
     (*Genas Pellicis mulcens*)  
 Incolent rugae genas has.  
 PELLEX (*horrens*)  
     A, quod frigus!  
 PUTRIA                                 Ne timescas.  
     Quo vadis, puella pulchra?  
 PELLEX                                 An quo, quo ne vaserim iam?  
 PUTRIA                                 O tu pavo, margarita!  
     Num quo vadis, vitula?  
 PELLEX                                 Vado et illuc, vado et huc.  
     Di curent vel quem velis, quo!  
 PUTRIA                                 Afflictum morbo patrem esse  
     Confitere aegrum domi;  
     Neminem nisi iuvare  
     Te, carissima, et fovere,  
     Nunc redire divitem  
     Herbis, ut curam geras.  
     Nonne novi, quid te agat?  
 PELLEX                                 Heu!  
 PUTRIA                                 Vide, puella;  
     Hoc facis pulchre, tibi nam  
     Occlusae terrore mortis  
     Ignium pater secundam  
     Donavit fauste ille vitam,

Nunc tu es integra, is, velut  
 Candenti in fornace carbo,  
 Tabet, defit, fit cinis.  
 PELLEX Eheu, eheu!  
 PUTRIA O, et orbi  
 Liberi duo tenelli,  
 Qui repunt in pulvere ante,  
 Ut leo, quorum ore rugit  
 Sic fames, ut terrae ob hanc rem  
 Mordeant solum sterile.  
 Nec vermes miser pater quit  
 Hos iuvare, nec moveri,  
 Pro fletu flammis profusis  
 Sic caelos orat dolore:  
 “Vivisne an non, o Deus?”  
 PELLEX (*considerens flere incipit*)  
 Vae mihi, vae mi relictæ!  
 PUTRIA Surge, stultula, inde surge.  
 Haec locuta sum iocata.  
 PELLEX Vae mihi, vae! ‘ ecquid egi.  
 Atrii parvi in tenebris  
 Lucerna inferna micanti,  
 Ore culpam sibilanti  
 Obrutus mi est spiritus.  
 Erubescens non videbar,  
 Regredi studens remissa  
 Non sum, missa non regressa,  
 Non cupivi iam gradi.  
 In cervice bracchium  
 Arsit, proditor crepavit  
 Osculum audax in labris.  
 O et inde, horrenda vita!  
 O me perditam puellam!

PUTRIA           Mitte lamentas, puella,  
                       Te manet pulcher puer.  
 PELLEX           Vae mihi! miser pater! –  
                       Exsecrata et hora sit.  
 PUTRIA           Noli flere, stultula,  
                       Has vide auratas comas.  
 PELLEX (*surgens*)  
                       Exsecro et –  
 PUTRIA                        Lasciva tu!  
                       En tibi offertur, velisne?  
                       O et ditem pulchrum erum illum!  
 PELLEX           Ad fratres ibo meos.  
 PUTRIA           Tamquam post non ire posses!  
                       O quam sanguinem iuventae  
                       Fervere et gestire pulchrum est.  
                       Semivespertina in aula  
                       Coccino lecto alba virgo,  
                       Flos ut lactis, strata somno est,  
                       Vel mentitur esse stratam.  
                       Campanae quassae modo cor  
                       Ardens palpitat sonatque:  
                       Tunc venit pulcher puer  
                       Solus, secreto, silens.  
                       I mecum, cave esse maesta,  
                       I, venefica venusta.  
 PELLEX           Eheu – ibo iam domum.  
 PUTRIA           Sane ibis! mecum sed i nunc.  
                       Quot gignuntur vertice,  
                       Aurei fient capilli,  
                       Tam reddemus divitem te.  
 PELLEX           O deus! quo nunc eamus?  
                       Ibo forsitan domum.  
 PUTRIA (*tractans*)  
                       Stultula, haud ita! advenito.

*(Secreto)*

Csongor, hanc tibi paravi.  
Taediosum ex hac amorem  
Accipe, hoc peto exsequorque,  
Quo sit exacta ultio.

FINIT ACTUS TERTIUS

## ACTUS QUARTUS

### AULA DOMUS PUTRIAE

(*Csongor et Ineptius veniunt, Ineptius considit*)

- CSONGOR    Huc veni, forte hac iere.  
                  Condisisne, brute deses?
- INEPTIUS    Non vides?
- CSONGOR                    O cule tu ursi.
- INEPTIUS    Non cursum: peregrinatum  
                  Veni.
- CSONGOR                    Bestia o! – domum illam  
                  Dum devertor, opperire,  
                  Forte praeceptum datur,  
                  Sin minus, noctu futura  
                  Pernoctare nos licet.
- INEPTIUS    Tantus angor, tantus error,  
                  Omnis pro una femina,  
                  Pro pusilla femina,  
                  Femina ast cui quantula est pars!  
                  Vae surae, vae genua.  
                  Equidem interim residam,  
                  Sane murum fulciam.
- TUMAX (*in specie ancillae venit*)  
                  Men' amas, babaecule?  
                  (*Quisquillas Ineptio infundit*)
- INEPTIUS    O ocelli ambo tibi  
                  Collustrarent allicem!  
                  Illic spectat, me respexit.  
                  En limum gregem vide!



GRUNNAX (*in specie ebrii venit et vino eum spargit*)

Verme vinum hoc ebibendum!

Ut hydrargyrum sapit.

Mānet sterquilinio.

INEPTIUS Heus!

GRUNNAX Ohe!

INEPTIUS Pro Tartari di!

GRUNNAX Num tu sis, beate frater?

Nil cura! vertat bene, euge.

INEPTIUS Vertat te, senex caper,  
Usque ad summos Carpathes,  
Tunc habe festum diem,  
Maxime cum fulmine  
Quassaris. – Babae! cito  
Me sedenti subsident.  
Sane, me erigam prius.

(*Consurgit*)

MURMAX (*in specie viatoris cum asino venit*)

Sta, pecus, gradumque siste,

Stipes hic iam te manet.

(*Asinum ad latus Ineptii alligat.*)

Hunc divinum pulchrum equum

Mutavi cum opilione

Triginta agnorum tribusque

Pellibus: furto a misello

Ipsa (natura duce).

Non volat per astra, asellus

Sed fert ocium pede.

Deversorium ibo visum,

Immota interim, pecus, sta.

INEPTIUS Stipitem me! Te draconem,

O affectae palpebrae

Mucore ambae sint tibi! – Sed

Scandit stipes, optime!

Atque asello huiusce aselli  
Gestatur eriliter.

*(Asellum scandit)*

*(Demetrius ianuam superiorem tabernae aperiens  
prospicit)*

DEMETRIUS Rusticus 'st hic, vinolentus  
Forte, solvet multa mi.

*(Ad Ineptium)*

INEPTIUS Vir clarissime, o haveto!  
Sic par est! O, est ita,  
Salve, Demetri senex;  
Siderorum per genus! vos  
Hicque procreamini?

DEMETRIUS O! ubique nos sumus,  
Solis ut lux –

INEPTIUS In malam rem!  
Fors mage ut lumbrici, acanthi?

DEMETRIUS Spiritum, puto, meri num  
Vis tibi, vir optime?

INEPTIUS Iratus sum paene.

DEMETRIUS Paulum –

INEPTIUS O, ita! en' vinaceis est,  
En' secali?

DEMETRIUS ' Arceant di!  
E mero pruno, egregi vir,  
E puro puto, et valet qui!

INEPTIUS Me sitis non urget.

DEMETRIUS Atqui  
Pro certo dico hoc haberi  
Non parem terrarum in orbe.

INEPTIUS Alias.

DEMETRIUS Sed quaeso, quaeso!

INEPTIUS Si se habet sic res, cedo.  
Demetri senex, et asses

Postmodo solvam brevi,  
 Hic enim tempus teremus.  
 DEMETRIUS (*secreto*)  
 O miser! nummis eget. –  
 Ilico redibo.  
 (*Cedit intus*)  
 INEPTIUS Sane  
 Hunc virum quaerebam adhuc.  
 Me prope, inquam, ussit sitis, quem  
 Tanta affecisset fames. – Quid?  
 DEMETRIUS (*veniens*)  
 Per Iovem! vir optime,  
 Do libens, sed deficit.  
 (*Tabernam claudit*)  
 INEPTIUS Deficitne? O oleum,  
 O faba, illum quin necastis.  
 (*Murmax evenit et asellum ducere incipit*)  
 Heus! quo pergis!  
 MURMAX Numne ades tu?  
 INEPTIUS Iam descendam – veniam da.  
 MURMAX Non descendes! hic maneto.  
 Mitis admodum est pecus.  
 Huc ut adveni modo,  
 Alligavi ad stipitem.  
 INEPTIUS Ipse stipes is fui.  
 MURMAX Mira res! stipes bone,  
 Hic maneto ergo in asello.  
 INEPTIUS Vae mihi! di perduint hunc!  
 Quin me in crates pertrahit.  
 MURMAX (*magno cum crepitu canens*)  
 Nisi rosae gemmas vepris procrearet,  
 Insana esset avis, si qua devolaret.  
 Eu, euan euax!  
 (*Interim Ineptium cum asello in crates trahit*)

CSONGOR (*veniens*)

Est meridie aucupanda  
Ergo; interdicta alias.  
O tempus, qui praeteribis,  
Tempus contractum volans, me.  
Festinandum est, ibo. Inepti!

MURMAX (*intus*)

Quin adsum iam.

CSONGOR Ubi es, Inepti?

Num venis?

INEPTIUS Sed alligor, vae!

CSONGOR Te resolvam, nil moveto.

MURMAX (*veste Ineptii indutus prodit*)

Eccum.

INEPTIUS (*intus clamans*)

Csongor, o ere!

CSONGOR (*ad Murmacem reversus*)

Quid, pecus tu bruta, rugis!

MURMAX Clamavi, ne linqueres.

INEPTIUS (*intus*)

Csongor, o ere!

CSONGOR Ecquid est?

MURMAX Quo nobis, inquam, est eundum?

CSONGOR Sectare.

INEPTIUS (*intus*) O Csongor ere!

CSONGOR Delirasne sic ululans?

MURMAX Te hoc cave turbet: prior vox,

Quam rugivi, resonat.

INEPTIUS (*intus*)

Csongor, o ere!

CSONGOR Omnis eius

Nomen, o natura, reddas,

Sit repercussa usque clarum!

(*Csongor et Murmax exeunt*)

INEPTIUS (*intus*)

Csongor, o ere!

(CUBICULUM. *Putria et Pellex adsunt*)

PUTRIA        Hic casa est, vide, puella;  
                  Dumque illectas bracchio illum,  
                  Fac velut locuta sum.  
                  Tunc – attende –, tunc liquesce,  
                  Arde, ferve ut montis ignis,  
                  Bracchiorum ex pampinis  
                  Ne sinas hunc se expedire.  
                  Vade, perge, te decora.

(*Pellex exit*)

PUTRIA        Ipsa in hortum nunc recedam  
                  Causae providens meae; si  
                  Csongor per somnos amores  
                  Postea suos omittit,  
                  Haec tenet complexa falsum.  
                  A, si experrectus resurget  
                  Ex contagio, horreatque  
                  A sese, a vita sua, si  
                  Animi puram quietem  
                  Turbatam, ut lacum procellā,  
                  Undis obsidi intuatur,  
                  Inque saecla saeculorum  
                  Evanescere beatum  
                  Mundum, dulcem somnum, amorem;  
                  Pectus, ut deserta sedes,  
                  Taetrum, triste, inane fiat:  
                  Tunc videto me sedentem,  
                  Gaudio magno canentem,  
                  Iuxta apertum tumulum.

(*Exit. – Grunnax et Tumax ab utraque parte veniunt*)

TUMAX Grunnax, Grunnax, pax, eho.  
 GRUNNAX Quid venatus 's, pusio?  
 TUMAX Patrimonium ecce raptum.  
 GRUNNAX Plus quam cuiquam erat speratum.  
 Sit rereptum, sit rereptum!  
 TUMAX Non item! mutatum erit, dein  
 Ludum habebimus, si ituri  
 Calceos caedent flagello,  
 Calceis nec provehentur.  
 GRUNNAX Esto, permutemus, esto.  
 TUMAX Pallium hoc –  
 GRUNNAX Es unde nactus?  
 TUMAX Raptum ab Hebraeo misello.  
 Paene erat iam algore obesus;  
 Ne algeret, luto indidi,  
 Usque ad collum condidi.  
 Qui clamavit quique questus 'st!  
 Ut qui circumciditur  
 A tergo.  
 GRUNNAX Mutemus, esto,  
 Euge! Calceosque habemus.  
 Sub deserto tabulato  
 Clam propagant saecla mures,  
 Indu his pullos educavit  
 Quaedam, vermes nudulos.  
 Mintritus signum dedit,  
 Felis mas dum praeterit,  
 Calceos insiluit;  
 Affluxi felem ipse humi,  
 Sunt ablati calcei.  
 TUMAX O quam est lusus hic iocosus.  
 En flabrum: focale quondam,  
 Quo miser corpus pependit,  
 Vivus in talis Venus – iam

Ventus flabat sub pede,  
 Nec tangebatur unda crescens.  
 Desecavi; quam venustum  
 Flabrum ex funo est, ecce, factum.

GRUNNAX Mutemus simul, cedo istud,  
 Murmuret licet anus.

TUMAX Calcei! ite se susurro,  
 O postis, vale atque ave.  
 (*Exeunt*)

(HORTUS. *Csongor et Murmax adsunt*)

CSONGOR Non vocato cur profusa  
 Lumina impio sopori,  
 Cum lubricitati atque amori  
 Exoritur lux venusta?  
 Quot reges rogare fructus  
 Plumbeis tuos ocellis,  
 Quot precari corda, luctus  
 Fomentares, alma pellis?  
 Sisti frustra, linquis omnes,  
 Haeres ad beatiores,  
 Qui velint vigil manere,  
 Et manus Tündes tenere.

MURMAX Hic pulvinus caespitis  
 Frigus in sinu atque odorem  
 Profert, tegmen atque frondem.  
 Accipe, huc veni, quiesce.

CSONGOR Exci, Inepti, me, si amores  
 Adsunt; stare nequeo,  
 O possim, dum dormio,  
 Pravas evitare sortes.  
 (*Obdormiscit.*)  
 (*Tünde, Ilma veniunt*)

TÜNDE Vae mihi! quid intuor?  
Men' Csongor somno opperitur?  
Men', quae pro se ex morte vellem  
Spiritum recuperare,  
Men' somno opperitur is?

ILMA Forte de te ut somniaret,  
Obdormivit, dum venires;  
Suavis in somno est imago  
Illius, quem cor cupit.

TÜNDE Ilma, linque, me relinque.  
Ignosce, o labri rosa,  
Mi: florem carpo tuam.  
*(Eum osculatur)*  
Osculum, mitis columba,  
I, satis tu es mite solum,  
Quod redaccendas soporis  
Ex aurora spiritum.  
Care, quin expergeris?  
Non expergeris receptis  
Me oculis recaptaturus?  
O infida tu columba,  
Osculum, frustra crepasti,  
Non redis mi nuntiatum.  
Csongor, expergiscere – ora,  
Ut serenum sole misso  
Caelum, habes? Lux nulla me ignem  
Accipit curamque amantem?  
Pande, pande lumina,  
Corda capta quīs mea,  
Illectusque illinc amoris  
Flos praematurus venustus  
Traditur quīs praeda brumis;  
Pande, pande lumina,  
In quibus sensu salutis



Custoditur anima. –  
Osculis, care, expergaris,  
Permutavi iam labra  
Ipsa per me perdita,  
Surge, ut brachio amplectaris. –  
Csongor, surgere an recusas?  
Lunae ortu hoc die videbis,  
Post provincias per omnis  
Errans, pervagans, extorris  
– Maeror ipsi, mi dolor –  
Me invenis numquam, abnegor!  
(*Se super eum prosternit*)

ILMA (*ad Murmacem*)

Si intuebor curva labra,  
Auriumque alata vela  
Flutanter pendentia,  
Varos si pedes videbo,  
Apta palis ossa carri,  
Longinque o terrestris hospes,  
Notum te esse mi putabo.

MURMAX Sic est, esset quin ita?

O ocelle, lumina!

ILMA

Vae! cave dicas; lacerta,  
Nodus mendici allicis,  
Quam tui oculi, mage essem.  
Dic, lavesne te pice,  
Aut cur in tuis nitescat  
Caligo atra paene buccis,  
In perone ut fimbriato,  
Atramento cui miser  
Scriba pennarum medetur.  
Nec me nosti, furcifer tu?

MURMAX

Avicella, stellula.

ILMA Per deos, o hoc omitte,  
 Quidvis fac, me caedito,  
 Dum ne mi subrideas.  
 Tum es canis carnem vorantis,  
 Qui sodali ringitur, par.

MURMAX Vitula, ecce es optima ad me.  
 O me amatorem beatum.

ILMA O tu caudex, o tu trunce,  
 Nec me nosti? ecce adspice,  
 Caia sum, coniunx tua.  
 Vel ferum te reddidit, quod  
 Es laudatus? immo ades, dum  
 Amplector te, claudam ocellos.

MURMAX (*eam amplectens*)  
 Cara, dulcis, Lar domus tu.

ILMA A, sulphur, sal petrae oles,  
 Ex quo Tartaro ille foetor?

MURMAX Basi me, uxor!

ILMA Usta sum, vae;  
 Hic est infernum genus.

MURMAX Mitte motum, aut devoro te,  
 Ut mālum, degluttiaris.  
 (*Ilma territa secedit*)

TÜNDE Vae mihi! non somnium,  
 Hoc opus magis maligni est,  
 Tempus avolat citum;  
 Est eundum spe relicta,  
 Tormento afflictā usque vitā.  
 Suave mentis cogitatum,  
 Csongor, hic pono super te;  
 Utinam unquam, o flende, possim,  
 Utinam te cernere.

MURMAX Quid iubes me, ‘ o era,  
 Si expergefit, dicere?

TÜNDE Tollat ad clavum altiorem  
 Ensem splendidum atque fortem.  
*(Secreto)*  
 Scelere gnate, aestimo  
 Te ministrum huius mali esse. –  
 Flebile, Ilma, iter sequamur.  
*(Tünde, Ilma exeunt)*

MURMAX *(Csongorem manu tangens)*  
 Em tibi! exciere, erilis  
 Fur, et in sole stupe.

CSONGOR Tamquam altissimum sepulchrum,  
 Pro morte in quo est spiritus,  
 Sic fui, tam fata opaca  
 Sustulit somnus meus.  
 Dormiente me quid actum est?

MURMAX Hic erant Hesperides.

CSONGOR Tu me – pravitas nefanda!  
 Sīsti in somno, haud excitasti!

MURMAX Falleris, ere optime,  
 Tanto clamore atque voce  
 Me non irrausisse miror  
 Teque non factum esse surdum.  
 Sicut pullus est asellae  
 Alma omissa matre, sicut  
 Ipsa praedicens asella  
 Ventos asperos quiritat,  
 Sic rugivi, sic rudivi;  
 Atque illam melle fluentem!  
 Quid, quid non conata pro te!  
 Es sublatus et repostus,  
 Deploratus, allocutus,  
 Frustra! non excitus es.

CSONGOR Devotorum filium,  
 Me cunctis devotiorem,

Heu! quem carpsam nunc iter?  
 O, deus quis quisve homo,  
 Tempus est si dissipatum,  
 Vitae reddet restitutum?  
 Fugit par scypho cito,  
 Vertex est vestigio,  
 Qua patet mentis sepulchrum  
 Discissique spiritus.  
 MURMAX Nunc velim procul abesse.  
 CSONGOR Qua vadam nunc, heu, via! quo?  
 Ëde, itura dixerit quid.  
 MURMAX Iussit ad clavum altiozem  
 Ensem tete attollere.  
 CSONGOR (*cogitabundus*)  
 A! quid est? insidiae ergo?  
 Fors est servus hic scelestus  
 Hanc ad rem legatus actor?  
 Sic, sic, horrendum in modum sic!  
 Serve false, morte poenas  
 Das. Fugin? Fuge, o minister  
 Noxae – ut umbra prosequar te,  
 Inque umbram te diruam.  
 (*Exit*)

### CUBICULUM IN CASA PUTRIAE

PELLEX (*comis aureis induta intrat*)  
 Eccam! iam me deperire  
 Et mors pallida potest.  
 (*Cantitat*)  
 Trans Padum vel cis Padum vel  
 Adriam  
 Non amo nisi puellam  
 Perfidam.

(Hiat)

O! iam taedet me; vetus  
Hortata est me stulta anus,  
Quod pulcher puer me adibit,  
Nil, neque Orco venit umbra,  
Nec proles umbrae quidem.

(*Rosam de pectore demit, folia decerpit, per decerpta  
ambulans cantitat*)

Romae ludum frequentabam,  
In rosarum mari nabam.

(*Repente consistit*)

O! frondes misellae,  
Vos iam discidi.

(*Considens folia in gremio sumit et cantat*)

Rosae frondes, parvi rosae flores,  
Estis facti quare decolores?  
Ut virginis genae, pallidi estis,  
Ut gelu, brumae nivea vestis.

Rosae frondes, parvi rosae flores –

Ei mihi! – quis dixit 'ei'?

O Pellex! Pellex!

Gaudium qui est priscum omissum,

Somnium infantile ridens?

Flen? fle, perdidisti risum,

Lacrimae implent lumina,

Dextram florum lintea,

Luge, et terge lacrimas.

(*Paulum temporis sedet tacite, vultu manibus condito,  
dein repente exsilit*)

Au! quis est, fremor quis intrat?

Stultulam me, num quid egi?

Non, non, id non ferre possum:

O, necat me solitudo.

INEPTIUS (*cum asserere quodam venit*)

Impia grex, crux mala!  
Me seclusum sic ab illo!  
In cratem clausus refregi  
Ianuas, et nunc gero:  
Qui non credit, intuatur.

(*Aspiciens Pellicem*)

A – ignoscas, pulchra Nympha.

(*Secreto*)

Vel forte ipsa era illa clara,  
Hesperis 'st haec delicata.  
O! it quam bella et misella.

PELLEX

Indignum! cornix senilis  
Cogit scurram, simium in me.  
O bucco rictu canis!  
Non, non, nil ex hoc habebit.  
In fugam me do! – prius sed  
Morus incitabitur.

(*Ad Ineptium vertitur*)

Heu!

INEPTIUS

Gemit.

PELLEX

Vae!

INEPTIUS

Vae misella!

Tam gemit laboriose,  
In iugis ut Aquilo.

(*In genua procumbens ad Pellicem*)

Dic, iube me, quidnam agam.  
Mundum totum, ut frusta carnis,  
Pro te devoro si opus 'st. –  
Tetigi, iam laetior fit:  
O surridet, vitula!  
Fascinans et suaviter,  
Ut cellarii ostia,  
Plenum quod vino rubro est:

Nunc et ipse huic ingemiscam.  
 Proh!

PELLEX                    Proh!

INEPTIUS                    Proh!

PELLEX                    Quis haesitator!  
 Me est opus iam ad rem venire,  
 Aut haerebit hoc loco. –  
 Care –

INEPTIUS                    Me beatiorem  
 Omnibus mortalibus!

PELLEX                    Num consolaris loquela  
 Me, maestam, tristem tuam ob rem,  
 Alitem tamquam errabundam?

INEPTIUS                    O te corculum, columbam!  
 Complecti fors debeo iam?  
 At quid Csongor? veniam det,  
 Quod non is dilectus est,  
 Forte bellius caput sum,  
 Id non culpa Ineptii est.

PELLEX                    Terra sub genu est molesta –

INEPTIUS                    Immo sum optimo loco,  
 Ad pedes sine ut quiescam.

PELLEX                    Bestia, immo armenta! rerum agam quid?  
     (*Ad Ineptium*)  
 En morem ut geram tibi,  
 Amplectar te, care, ibi.

INEPTIUS                    Me amplectetur! sors bona, o sis  
 Lene vinum, ne neces me.

PELLEX                    Portus est cor mi tuum, ne  
 Pelles me, illustris vir, hinc.

INEPTIUM                    O illustrem me virum, me!

PELLEX                    Claude ocellos, aut ero usta,  
 Claude ocellos, floscule.

INEPTIUS                    O lasciva tu! ergo claudam?

PELLEX Claude, amas si me.

INEPTIUS Usque claudam?

PELLEX Usque! amoris pignus esto  
Hoc, nihil plus te rogo.  
O qui es pulcher quique gratus.  
*(Secreto)*  
Sicut felis caeca stirps.

INEPTIUS Sic, tuas ne spectem ocellos,  
Fraudatrix gratissima!

PELLEX Patienter, care mi.  
*(Arcisellium detritum, tomento fartum sua vice  
ad Ineptium promovet; secreto)*  
Hanc sororem amplectere.  
Memet certo do fugae.  
*(Exit)*

INEPTIUS *(arcisellium in complexu tenens)*  
Quam tui molles lacerti,  
Larda ut alba sunt venusta,  
Dulcis atque cara costa.  
O cincinnos! – te tenebo.  
*(Arcisellio magno cum crepitu corridente Ineptius territus  
exsilit, manu tenens fasciculum tomenti)*  
Palum ut pes, tomenta rava!  
Vidistin portenta prava?  
Nidus vermis, pulicum aedes,  
Pinsam te, exsecrata sella,  
Furum praeda, arde in favilla.  
Per Tonantem! furibundus  
Ne sim, Csongor est scrutandus.  
Quidnam agam, quid iam capessam?  
*(In mensa repperit quae existimantur daemonum  
hereditas esse)*  
Me fortunatum! ecce opes sunt.



Testā magnā nimis  
Asellus lugeat.

*(Incipit eis vestiri)*

Laeta vita iam est Inepti,  
Calceo pedem tenenti  
Fertur, ut sententia.  
Calcei, attat! lora, atat!  
Ferte ad Csongorem me erum.  
Num quid est? venimus an non?  
Non venire stridet hic.

*(Utique se levare contendit)*

Calcei mali exsecrati,  
Ipsi a me ferri volunt,  
Aut ali multo hordeo.

*(Calceos flagellans)*

Perge, fusce, perge, flave!

CSONGOR *(veniens per cervices Ineptium arripit)*

Curre si quis, infidelis!

INEPTIUS Sic mercedem mi dabis?

CSONGOR Hoc loco te iugulando,  
Proditor, totam salutem  
Qui mihi aufuratus es.

INEPTIUS Nil aufuratus tibi sum,  
Hoc nisi verber modo,  
Idque misisti libens.

CSONGOR False, me irrides? perito.

INEPTIUS Non te comprehendo, ere.

CSONGOR Numne? intellectum dabo.

INEPTIUS Cur me fundere in solo vis?

CSONGOR Ut conculcam colla, monstrum,  
Spiritus ut teram pede.

*(Daemones peculia sua ostentantes repente scenam  
transgrediuntur)*

A! quid hoc? es tute bis,  
Hic illicque Ineptius.

INEPTIUS Hic et illic calcei.  
 CSONGOR Suspikor quid! me fefellit  
 Daemon, qui tu visus esset.  
 INEPTIUS Iam scio, cur non provectus,  
 Cur a te sim colle tritus.  
 CSONGOR O totius terrae in orbe  
 Nemo infelix est nisi  
 Solus unus ipse sum.  
 INEPTIUS Et qua causa? ob calceos!  
 Perone etsi viliores,  
 Non tamen furanda praeda;  
 Atque a daemone est redemptum,  
 Quidquid ad se pertinet.  
 CSONGOR Audi, Inepti.  
 INEPTIUS Dic, ere.  
 CSONGOR Perge, me sectare.  
 INEPTIUS Quo?  
 CSONGOR Si es fidelis, mitte quaeras.  
 INEPTIUS Erraturus sempiterno  
 Sic deges tempus iuventae?  
 CSONGOR Inque saecla et post ea!  
 Etsi lux meridiana  
 Alta uretur, sitque parva,  
 Ut per noctem perfuga  
 Cicindela exterrita,  
 Sola per caliginem  
 Infinitam pervagetur,  
 Ut numquam sese intuat:  
 Tünde, eius flammam secuta  
 Equidem pro te exsulabor.  
 (*Exit*)  
 INEPTIUS Sic si habet se res, eamus,  
 Dum mei pars est superstes  
 Decocto maior pede agni,

Equidem exsul ipse ero,  
Necnon potabo atque edam,  
Dum desim vel ille desit.

*(Pergit, sed brevi redit)*

Agninam pernam locutus  
Num nanciscar assecutus,  
Quo non liqui, in scrinio?

*(Scrinium aperienti figura Putriae apparet)*

Putria, au! senem odiosam.

*(Cum ad ianuam currit, et inde figura Putriae obvia venit)*

Vae, caput meum atque ocelli,  
Quod monstrum horrendum videbo!  
Bis corpus, venefica una,  
Hic et illic ista taetra:  
Gestantur manu arma, scopa,  
Nigricant morte horrida ora,  
Ferte opem, heu! Csongor ere!  
Ostia aut fenestra, ubi estis,  
Vae, caput meum et nates!

*(Figurae Putriae ab utraque parte eum scopa prosequuntur,  
dum denique fenestras desilit. Figurae Putriae unantur)*

PUTRIA Omne perditum, omne missum!

Tollunt Tartara ima risum

Putria de stupida.

Est num stiva Putria,

Serva, vilis fascina,

Qua potest iners arare,

Imbellis quisque equitare?

*(Irata pedibus terram pulsat)*

Non, non, clama, Averno: "numquam",

Stride, si audis me, nega umquam.

VOX INFERNA Non! non! non!

PUTRIA Ecce te, ecce, sentio.

Devotum ob responsionem

Solvam laeta merito.  
Audito: quidam colit  
Vates in luco antra rupis,  
Ternis dormit mensibus bis.  
Hunc procul de sede pellam,  
Fata ēdam quasi illius vis.

VOX INFERNA      Hahahae!

PUTRIA      Nonne gratum est? exigam.  
Tünde, Csongor praeteribunt  
Lucum, vatem consulentes  
Fata a me per me requirunt.  
Atque destruens amorem  
Inseram perditionem,  
Semen illis, deleantur  
Ut per solitudinem.

VOX INFERNA      Non, non, non!

PUTRIA      Munus si quando obtuli,

VOX INFERNA      Hahahae!

PUTRIA      Si cuius torsi viam ad te,

VOX INFERNA      Hahahae!

PUTRIA      Deridesne me? Calore  
Tortus forte edis cachinnum?  
Spiritus iners, perito,  
Unus atque sunt duo tres,  
Te sine exigam labores.

*(Exit. Maximus cachinnus ex imis)*

ANTRUM UNDIQUE DENSIS FRONDIBUS  
ARBORUM OPACUM, ANTEA FONS VELATA

*(Putria veniens fontem detegit)*

PUTRIA      Hic in lympha ima futura  
Incolunt quieta fontem.  
Hic reversam virgo sortem

Cernat in labrum exituram.

*(Ter fontem circuiens)*

Unda, quoquere,

Spumas volvere.

*(Scriptum super fontem tenet, quod per se inflammatur)*

Periura cruenta scripta,

Corde sonti flammae addicta,

Decidet cinis in ima,

Unda, quoquere.

*(Stetit)*

Stella quam mors incolit,

Osse humano constitit,

Nubes quae in bustum cadit,

Sanguis herbā ut prodiit,

Ventus ignem qui capit,

Dum flet qui in flamma perit,

Devolute, devolute,

Fontis omina spectate.

*(Fonte cedit)*

Quam praestolor, iam propinquat,

Vēnit, adstat, cernito,

Quod non fuit in somnio.

Adducam iam Csongorem ipsa,

Ut futura hic audiat.

Saecla saeclorum exitura,

Dum via grassentur una.

*(Exit. – Tünde, Ilma veniunt)*

TÜNDE

Ilma, omen bonum!

ILMA

Heu, locus qui!

Fors sedes veneficae est.

TÜNDE

Non item, vatis casa est,

Durae anus, quae spectat aevum

Longum saecla investigans,

Dextera certa levans

Fila temporis futuri.

ILMA Sic si habet se res, geramus  
Digitabla: est pulchra palma,  
Parva, munda, lauta et alba.

TÜNDE Quam beatum tempus, o!  
Fons divina non operta est,  
Non coruscat rica flens.  
Felix tempore hoc qui cernit,  
Non cladem luctumve sentit,  
Huic favebunt sidera.  
A! tamen nunc horreo,  
Terret me futuri imago  
Etsi adhuc non visa mi.  
Ilma, tu antei, intuere,  
Quid cernatur, confitere.

ILMA Nil nisi virens aqua,  
Et duo nictantia  
E ranae testa natantis  
Laeta risu lumina.  
*(Fontem inspicit)*  
A non, a non, care Inepti,  
Tune es, tu tam es inferus?  
Quid facis sub frigida unda,  
Quid facis, pulcherrime?  
Exi, tabeo, ardeo,  
Par sum miti butyro.  
O! quam amat me corculum,  
Non panem vult, osculum;  
Exi; sin minus, subibo,  
Sic nanciscar otium.

TÜNDE Ilma, laetum spiritum undis  
Perfusum felicitatis  
Specto, uti beatam avem.  
Me nunc, me sine intueri!

ILMA O! cur me somno excitas,  
Dente expergiscens laboro.  
(*Iterum fontem inspicit*)  
O me, Inepti, animule,  
Numquam, Inepti, desere!

TÜNDE (*ad fontem propinquans*)  
Litteris ardentibus quae  
Scribitis futura prato  
Caerulo caeli, astra, magno,  
Subridete, o aetheris  
Pulchri ocelli, prospere  
In divini nocte fontis:  
Fata volvite pie.

(*Inspicit*)

O qui tractus, terra quae!  
Agnulus quidam et puella  
In prato ludunt virenti,  
Pulchra iunior puella,  
Pernix strenua est pecus,  
Ludus tam iucundus est,  
Est tam laetus, sicut ipsae.  
Ai! qui visus luctuosus?  
Armiger propinquat heros,  
Ante virginem cadit.  
Pulvere et cruore languens,  
Ecce virgo vestis albae  
Conscindit suae institas,  
Carbasos de colle mammae  
Vulneri alligat suas.  
Miles gratias agit,  
Suspicit – quantus ferit  
Me dolor! Nam est ille, ‘ ille,  
Infidae deliciae,  
Et puella – vae mihi –

ILMA Sic rigens, era, cave stes,  
Aut in signum verteris.  
(*Secreto*) Illi Ineptius placeat?  
Horreo, ne pelliciat.  
(*Ad Tünden*) Era, dumtaxat sinar,  
Tecum, si vis, sortiar. –  
Muta flet, silet misella,  
Equidem sane obsecro.  
(*Hiat*)

TÜNDE Felix, num felix puella?  
Quo visus tendit tua?  
O! quid in falsis ocellis  
Conditum, ut gaza abdita,  
Quod quaeras tam cupide,  
Laete, fide, ut margaritam  
Urinator infime?  
A, falsae ne crede luci –  
A cave – quid sum locuta?  
O amoris somnia!  
Iam sinu tenta est puella  
Pertinax male atque iners,  
Ardet osculum labris,  
Infidum quondam mihi quod  
Attributum est vectigal;  
Quemque tot fōvere curae,  
Tantus fovit carus angor,  
Ut iam amorem ‘ hi meam  
Me sine bipertiuntur!  
Vae me, vae deperditam!  
Per nemus duo ambulantes  
Grassantur feliciter,  
Agnulusque tristis orbus,  
Ut sensus mei, est relictus,  
Demisso vultu secutus;



Collustrix iam non colludit,  
 Immo ludit, sic salutem  
 Perdit optatam meam.  
 Vadunt, errant per nemus  
 Altius, profundius.  
 A! cavillans frons ibi,  
 Hic fletu caeci oculi.  
 ILMA Plane hoc est monstrum, nefas;  
 Fons, perito! si nocens sit,  
 Exstinguatur potius.  
 En lapis, vide, o era –  
 TÜNDE Ilma, desine, o, me oportet  
 Ex manu fati dolorum  
 Poculum plenum prendere.  
 Nunc aut olim, certo oportet,  
 Dimicant amorque corde et  
 Mens, alter victor erit.  
 (*Rursus fontem inspicit*)  
 Quid vidi! tractum novum;  
 Desertum aequor, et sedet  
 Virgo deserta in rupe una,  
 Dissoluto corde, crine  
 Spectat, quo recurrit unda.  
 Heu! amoris quo voluptas  
 Quoque eius fugit salus?  
 Ille infidus nave fertur,  
 Ut procella flore vulso  
 Abscurrit crudeliter.  
 Atque in rupe victima eius  
 Virgo decepta occidit!  
 Flammas usti pectoris  
 Exstinguunt undae maris.  
 (*Fontem relinquit*)  
 Omne ita est, virile quod cor?

Csongor, vultibusque bellis,  
Talibus genis, ocellis,  
Tanta caedit morte Csongor?  
Fons falsa, exsecrata sis,  
Sit devotus spiritus,  
Qui te ex noxae fonte Averno  
Hunc in mundum sustulit.  
Esto deserta, horrida,  
Horreant te cuncta longe  
Et vitent bona et beata.  
O fiduciae ruina,  
Maeror! vos ubi auferam?

*(Exit)*

ILMA

Quanta cura mi nova!  
Vix Ineptio ulla verba  
Fabulato abīt era.

*(Ad fontem graditur)*

Care Inepti, in veste porto  
Libi crustum, corculum, ecce,  
Hoc relinquam iam tibi.

*(Crustuli frustum in fontem inicit, a quo flamma ingens  
incenditur; Ilma vociferans aufugit, Putria post flammam  
e fonte consurgit)*

PUTRIA

Exegi iam iter meum.  
Specie puellulae  
Accepturum oracla vatis  
Huc sum illecta Csongorem.

*(Ad fontem it)*

Fontis omen,  
Fonte numen,  
Excitum eveni,  
Missum perge et i.  
Fontis urna,  
Fonte turda,

Provola āeri.  
Fontis omen,  
Fonte numen,  
Alitum sis  
Nocte carmen;  
Patriam rem,  
Mite tegmen  
Invenito  
Clarum germen:  
Tündē egeto,  
Nec videto  
Unquam amorem,  
Vota, spem omnem,  
Inque saecla,  
Inque saecla,  
Perdito spem.

Pestilens omen paratum,  
Cedo me hospiti occultatum.

*(Rica atra fontem velat et in spelunca se abdit. Csongor  
venit, deinde Ineptius)*

CSONGOR Illa quo puella fugit?  
Me accepturum oracla dixit  
Sectando vestigia.  
Quali tractu, heu! hoc loco sum,  
Est terroris illa sedes,  
Luctus, horroris locus:  
Vatis est certo domus.

*(Ad antrum versus)*

Fida aevorum investigatrix,  
Rupium aedis divinatix,  
Cultrix hic cum mente diva  
Et tenebris colloquens,  
Vates recte si vocaris,  
Contra nomen nive luctūs

VOX

Nuntia es tu nive fletūs,  
Quid mei sit fatum amoris,  
Dic, qua nitar quave pergam,  
Assequar meam ut puellam?  
Quam videbis, sequere,  
Pulchra est, noli temnere,  
Os par miti vespere,  
Quem occidens vult pingere  
Solis flos; par vespere  
Splendet pupus sidere,  
Lenius pes vespere  
Mobili aura ludere  
Quit; ducit te itinere,  
Vesper quā umbrae incidere  
Coepit, perge, ibi quiesce,  
Sic tuam quis prendere.

*(Rica levatur, sub qua ex fonte figura puellae apparet,  
quae Csongori manibus nutans sublimis abit)*

Pulchra imago somniorum  
Mire natae virginis,  
Ēde, quis sis, orta caelo?  
Fallas an res vera sis?  
O! consta vel festinans i  
Extra mundum, terminum extra,  
Csongorem iam non adversa  
Terrent, praei, te assequar.

*(Exit)*

INEPTIUS

Restupebo iam stupens,  
Non sat os meum est stupori,  
Sed hiabo usque stupens,  
Postremo solus manens.  
*(Ad antrum versus)*  
Dom'na! – matrona! – audit an non?  
Vae! surdastra est misera.

Consulo paulum te, anulla.  
(*Interim urceus vini et turda assa e fonte levantur,  
et fronti Ineptii affliguntur*)  
Eia! nonne lumina ambo  
Excuti velint ocellūm. –  
Buttuti! id vinum est profecto,  
Haecque turda est assa sic,  
Ipse ego ut non illa sum.  
Devola, urna rufa pulchra,  
Devola ad me, pulchra turda,  
Non edam te, non bibam te,  
Ad cor amplexus premam te!  
Non credunt mihi, o malum! orbum  
Pusionem me relictum.  
Nutant, assequi vocant me,  
Mēhercules! oboedio.  
Me manete, heus! ibo iam, ibo,  
Adfui iam, devolate,  
Dum manu vos prensito.  
Heia ho! si es pilleus,  
Urceum rubrum feri illum!  
(*Pilleum ad ea iacit et exit*)

PUTRIA (*prodiens*)

Quodque et quomodo volebam,  
Factum est. Mi nunc mala pulchra,  
Fert frugem arbor aurea.  
Haec furabor! daemonesque  
Cogam – restant haec mea.

FINIT ACTUS QUARTUS

# ACTUS QUINTUS

## REGIO DESERTA (*Tünde et Ilma veniunt*)

ILMA  
Quo locorum nunc sumus,  
Quo deserto regno, era?  
Ipsa – si cui interesset,  
Quid vellem – procul migrarem,  
Tantum abessem vel magis,  
Quantum a Tergeste Teveste.

TÜNDE  
Aequa mente ne periclis,  
Umbra maeroris meae tu,  
Angaris – terra illa Noctis.  
Lucis ipsa sum osa regna,  
Scindant mentis nubila  
Quorum radiosa tela,  
Caeli non sum cupida.  
Caligo trahit doloris,  
Spes me fatigationis,  
Fatigatio spei:  
Hic earum est patria.

ILMA  
Quo modo invenitur illa?  
Tam late patent iam ocelli,  
Sicut flores helianthi.

TÜNDE  
Ut ocelli atro loco,  
Cor eo patet modo.  
Dum beatum est, roseam  
Ianuam clausam tenet,  
Ne domum abluat suam,  
Gaudium undas cum movet.  
Passum, maestum, cruciatum  
Altitudinem recludit

Secretam, ut si est quanta, spes  
 Fulgore illic emicet.  
 ILMA Hoc ut sciremus, necesse  
 Desertam in terram migrare  
 Nos fuit, ne avis quidem quo  
 A luce et sole avolat?  
 TÜNDE Perfer: haec via ultima  
 Est amoris, quae quietem  
 Aut mortem mihi ferat.  
 Sequere hac via ultima me:  
 Ipsa Nox hic habitat.  
 ILMA Quidnam agam, quo fugiamus?  
 TÜNDE Tristis in ripa deserta  
 Et gravis sedet matrona  
 Velata, stellisque iuxta  
 Fulget currens rivulus.  
 ILMA Horreo inspectans modo.  
 TÜNDE Hanc scrutata est spes mea:  
 Haec Nox, luctūs femina.  
 Et futurorum hanc penes sunt  
 Alte secreta abdita;  
 Procumbentes hanc petemus  
 Cogemusque hanc obsecrantes  
 Labris ēdere omnia.  
 ILMA Vae, restemus: nunc videtur  
 Fari, sed non comprehendis  
 Murmur oris.  
 TÜNDE Somniat  
 Rivuloque fabulatur  
 Somnia immortalia.  
 Exspectemus, nam molestos,  
 Si turbant, gravi ultione  
 Infinita percutit.

NOX

Tenebrae et nil fuere: ego fui  
Deserta, inculta vivis Nox tacens,  
Et Lucem filium in lucem edidi.  
Et de meo surrexit ventre lux  
Potenti splendore, omnes desitos  
Tremefecit Nili vastos locos,  
Et Universum, monstrum centiceps  
Processit immane. Astra lunaque,  
Caeli miracula, stellae erraticae  
Factae immensos per fines aetheris.  
Quies vetus soporis desiit,  
Mota est materia, egit vis nova,  
Et actione et motu ditius  
Repleti inanes fines, tempora,  
Luctando diviserunt iam mare  
Et terra regnum semoti āeris,  
Marisque demptis undis, quod modo  
Obsesserat furens, risum tulit  
Caelum de eius profundis turbidis;  
Pulchra et iucunda sponsa, flammeo  
Florum vestita terra est. Incipit  
Moveri pulvis – bestia et caput  
Regale, inflatus spiritus luto,  
Homo est factus, propagat saeculum  
Pium et fraudans, letale, idem decor.  
Tenebrae sunt et nil: ego ecce sum,  
Lugubris Nox a luce perfuga. –  
Vermis, momenti bulla, deperit  
Neque aevum est existentiae datum.  
Non salvant alitem ala, bestiam  
Ungues, superbam cortice arborem  
Demoliunt saeclorum pondera.  
Scaturrit lucis flumen, spiritus  
Humanus, universum magnum ubi



Renidet. Gaudio haud effabili  
Caelum et terram miratur et stupet;  
Iuventus sed repente defluit,  
Post nonnullos aestus iners senex,  
Dein – non est, qui non fuit, muscae ut genus.  
Vivens inextincta cupidine  
Scrutat, scit, somniat, sudat, sapit;  
Manu mortali ‘immortale opus  
Putat movere se, et cum decedit,  
Sepulcra opus superbiae tegit,  
Supra ossa montes marmoris nitent,  
Signorum milibus splendentium  
Valori mente stela ponitur.  
Sed stela ubi cadit, signum, lapis,  
Cum terra non erit, defit mare,  
Dies dilabentes cursu suo  
Defessi corruent, peribit et  
Ruinis Universum hoc ultimis,  
Uretur in tenebris pulchra lux:  
Ubi incepit, ibidem finiet.  
Tenebrae et nil erunt: ego ipsa ero  
Deserta, inculta vivis Nox tacens.

ILMA

O me paenitet matronae,  
Somniat quam mira maeste!

TÜNDE

Hac voce audita horreo,  
Poculum mortalitatis  
Horrens potat animus.  
Surge et accedamus, Ilma,  
Procumbentes nunc petamus  
Vela honestis manibus.

NOX

Ultra tenebras orae luminis –  
De casu somniantem leniter  
Rerum quae me procax tangit manus?  
Novi, puellula inquieta, te:

Tributa cui erant tot saecula  
Vitae salutis in Hesperia,  
At cuius cor detraxit terrae amor,  
Errasti in terram a lucis patria;  
Et illic te salus deseruit.  
Sero redis petitum auxilium,  
In aeternum sed esto exsul domo,  
Sit, ut vis, terra parva patriae,  
Pro saeculis tantum horas vivo,  
Horas curtas voluptatis brevis.  
Nunc perge, nolo plus videre te,  
Per memet immortalem Noctem, abi,  
Aut reddam te tam nigram umbrae parem,  
Ut horrescens portentum tete amor  
E luco contempletur roseo.  
I, i, nam quod dixi, illud exigam.  
*(Tünde et Ilma exeunt)*  
Undae nunquam serae, decurrite:  
Nox errat somniorum in litore.  
*(Exit)*

### TRIVII REGIO

*(Csongor figuram puellae sectans venit)*

CSONGOR Fallax, ludens atque vana  
Trans vitam et mundum figura,  
Quo velox me corripis?  
Centies puto tenere,  
Centies parat amore  
Cor meum pulsu suo  
Nancisci mendax tuum cor,  
Tuque evanescis volans,  
Sicut somnium atque vita;  
Inconstanter non meum

Adventum expectare vis.  
Nutan? Non credo tibi.  
Quotiens te sistere  
Vidi; aperto pectore atque  
Bracchiis, cupidine  
Ebrius, errorum oblitus  
Non vidi deserta plana,  
Fraudatricem luminum  
Et cordis vidi te, adorans  
Veli secretum tui.  
Resta, resta, ne relinquo,  
Da mi praemium dolorum,  
In sinu tuo otium da,  
Me sine deflere damni  
Ineffabiles dolores.

*(Ascendit trivium)*

A nunc ades post tot cupidines!

*(Figura puellae evanescit)*

Quid hoc fuit? modo umbra! ubi sum ego?

*(Nonnihil temporis meditans stat)*

In fontem cerva concupit, suam  
Cervus vult comparem cervam, leo  
Amborum scrutatur vestigia.  
Adeptus cervam est cervus, cerva fontem,  
Vis bestiae destinatum ferit.  
Formicae currentis parvi gradus  
Vix cernuntur, sed illa proficit,  
Per aggeres, magnas distantias  
Fessa, at constans gradu domum redit;  
Helixque caecus repit in solo,  
Domus sed est indivisibilis  
Certa in dorso illi natura data,  
Si quando vult, quiescit, nam domi est.  
Cupido humana non implebilis,

Cupido intactilis, fallax, fugax!  
Quare est insatiabilis sitis,  
Oracla fraudulenta, arcana somni,  
Cur longum iter perfertur spe duce,  
Si unde incepti, fines erunt ibi,  
Ipsa in fallenti incertitudine?  
Circus mendax, non certus trivii,  
Ascendi quondam quali corde te  
Florente spe, luce orta, non velut nunc  
Dolore plenus, dives luctuum  
Cadente sole lapsi pectoris.

INEPTIUS (*cibos volantes sequitur*)

Esuriren' debeo  
Usque, assiduo sitire?  
Et ludibrio gulamque  
Tantum ventremque hunc habere?  
Heu malam carnem columbae!  
Heu te vinum ribe pressum!  
Sta vel ibis ecce ruptum,  
Saxo erit caput tuum ictum.  
Devolant, a! – Pax, Inepti,  
Nunc tracta illa leniter.  
Sic, eho! fac sic, eho!  
Dudum sic opus fuit.

(*Trivium ascendit, et cum tangere cibos vult,  
illi in pulverem vertuntur*)

Quid! es, lagoena vilis, facta humus,  
Columbae corpus es harena inanis?  
Eo est fames, ut pulverem vorem?  
Devotum tu, resta, claudum pede,  
Vel in carnem assor hoc ipso loco,  
Qui me maiorem habet famem, me edat.

(*Se in terra fundit*)

CSONGOR A! quae vagantum turba mi advenit  
 In pannis tristis, ut victa acies,  
 Maeroris perfugam maeror sequens?  
 Mali levamen visus comitum est:  
 Exspectabo, infelices sunt et hi.

MERCATOR (*baculo nisus titubat*)  
 Me, iners pes fessa, protinus iuva.  
 Iuva, tutela iners pedis vice,  
 Bacille, at fide: non torpedine  
 Ruptus podagrae is mala et bona  
 Via, nil differt, quo est opus vehi.  
 Necnon viator cursum finiens,  
 Quem hiems senectae atrox, tristis premit,  
 Combusto te incalescens ultimum  
 Vitae coloratae aevum respicit,  
 Ut vestem, quo ornatus quondam fuit,  
 Nunc paupertatis signa turpia  
 Lucis detritae monstrant pannulas. –  
 Ubi estis, gazae congestae meae?  
 Arbor spei mi densa floruit,  
 Flores sed aureos ventus tulit.  
 Mare ebibit, quod terra reddidit,  
 Terra est furata dona gurgitis,  
 Lubido sortis me levaverat,  
 Scamnum post reddidit dorsum meum.  
 Qui noverant, dum exstabant, tantum opes,  
 Me nunc novisse nolunt homines,  
 Poenae gravatum pondere hoc: apud  
 Eos iuvamen esse inveniendum.  
 Quis defesso quietis dat locum?  
 Quis ieiuno cibum, potumque dat  
 Ei, qui languet maerore et siti?  
 Quis perfugae, domus qui regiae  
 Pater fuit, latebram dat? Gulā

Quis iucunda vir ad cenam vocat,  
Ut ossa colligat cadentia?  
Fortunā natum indutum sericis  
Olim, nunc quisnam vestit pallio,  
Ut solem rorem ventum imbrem, arceat  
Ocellos, quorum visus laedit, at  
Cum viderant, se avertunt taedio,  
Ventre imbre sole cruciant magis?  
Me, iners pes fessa, protinus iuva,  
Iuva, tutela me bacille: eundum est,  
Caduca vita cautius colenda,  
Hoc pignus, carduos ferens ager,  
Dum mors adsit, redemptor pignoris.

*(Exit)*

INEPTIUS Nec stare Ineptius huius vices  
Velit: quantam querelam ēdit miser,  
Alter singultus huius est sitis,  
Alter ieiunium: ut venti molae,  
Panni tenduntur vela in āere;  
Quin fiet iam venti molae! At quis est,  
Quis, quali gente scandit denuo,  
Stellam ut comatam, portans lumina?  
Forsan, valeret sic, ut non valet,  
Terramque demoliret calcitrans.  
Inepti, pax! nunc fatur doctior.

REX (*veniens*) Me victo, sol, exustus non es, ardes?  
Non, quassa terra, rupta es sub pede,  
Qui scripserat dorsum tuum cruore?  
Meque et fama mea colentibus  
Spatia sex pedum ample – longum iter cur?  
Cur non ex terra clara montibus  
Sepulcrum fit, non maius, quam pedes  
Ad porrigendas quo est opus mihi?  
Vellem ipse solus esse, qui fui,

Super terra rex et sub terra humus;  
Arena volgi, avens quae propagatur,  
Ne dixerit transgressus me super:  
“Hic regis pulverem tero pede.”  
Nitela facta e falso lumine,  
Caput relinque, vile tu decus,  
Absis manu, sceptrum tu regium,  
Vis non es vobis; ipse vis fui.  
Hoc pectus: officina milibus  
A se constanter in se fabricans  
Famae, virtutis facta, gloriae.  
Maiestas sedi, ut rupes montium,  
Solutus, concorde corde carui.  
Insomnium terrores noctium,  
Curae fuscae, procellae proelia,  
Fulmen, frigans lux – castra erant mea;  
Flos ad pedes est natus, flaccuit;  
Sed rege me plebs est inanis.  
Mens una erat, quam cogitavi ego,  
Voluntas una erat, quam sensi ego,  
Et a fine ad finem valens fuit.  
Hic rupta est arx, mons decidit, fugit  
Aqua; illic audax surrexit nova arx,  
Miraculum deserti, turre suas  
Tollens ad nubem fines transiit.  
Nutu meo vastata est regio,  
Volente me novum regnum exstitit.  
Quis reddet mi priscam potentiam?  
Plebs infans pro dis idola obsecrabat:  
Ego educavi eos, famam dedi  
Pro signis mutis, fortis propago  
Reliquit bestiale stabulum.  
Custodiente cura, alente vim  
Mutavi mundum in magnos populos.

Super me sunt aucti, et qui stirps fui,  
Rami mei in terram ipsi detrahunt.  
Fui omnium potens, feci omnia,  
Extra potentiam una erat cupido,  
Eam optarunt: quod omnibus bonum est!  
Non quivi, non feci: fatum obruit me.  
Irā reconditā, imis luctibus  
Texere proditores, ut nigra  
Aranea, unā filo candido  
Fiduciae – avulso manu fera –  
Filos fuscis mali suspicionis  
Fraudantes, et voluntate infera;  
Ornata veste adulatoria ars  
Venit voltus amici extra gerens,  
Intus distento ore ultio fuit  
Monstris irae letalis abditis.  
Volebant victimam sibi: ecce me.  
Quid restat nobis? qua migrabimus?  
Mihi cubanti caeli adfulsit ignis,  
Non me excipit terra, obsecratione  
Humanae gentis excior, loco  
Dormire non sinunt me somnia arto.  
Sepulcrum quae meum monstrat manus?  
Cum demissum caput sit hoc grave,  
Ingenti vertice ut flagrans Gigas,  
Arcum poli quassabit spiritus.  
Ubi dignum bustum sibi invenit?  
Fretum, rebella, mons, tu labere,  
Terra, hos pedes lassos currens fuge,  
Stellae ignitae, super me cadite,  
Fragoris vestri signet iam sonus  
Hic regalem perire spiritum.

*(Exit)*



INEPTIUS      Hic rex si erat, iracundus fuit.  
Au! quantas garrivit res impias.  
Stupor me cepit pro miseria,  
Ut qui saponem pro lacte obsonat.  
*(Sapiens venit alte immersus cogitationibus)*  
Quid vidi? clara vita, ‘ heu, ibi est.  
Quo titubas, Arundinacee,  
Asser curvate frater, quo venis?  
O ter tonans Iovis! vere male est.  
Si sunt viri creati ex baculo,  
Hic rex eorum est. Et quam decolor!  
Sed ore aperto auscultemus crecem.

SAPIENS      Vitae incapacitas  
Et immortalitas  
Ambo sunt res magnae, arcanum vetus.  
Vitae incapaci vita est taedio,  
Et immortalis mors obstaculum est.  
Dignum est rogatu, utrum maius malum sit.  
Vitae incapax vir? nec potest mori,  
Eoque factus est miserrimus.  
Agro suo captus pauper puer,  
Quem rami vellicant; imbelle cor,  
Quem fraudatur puella; fatuus,  
Huc illuc quem fortuna detrahit;  
In se relictum degens meritum,  
Quod et post vitam exspectat praemia;  
Caecus, noctis consors; cuique odio est  
Vita, et cuius se uxore iactat alter.  
Cuius regno potiti ceteri sunt,  
In gaza qui sedet, vel aleo  
Devictus, cor amore perditum,  
Dementes omnes adsciti spei,  
Mori si possent omnes, quam celer  
Finis vitae incapacitatis esset!

Contra viro immortalī quam bene  
Esset, nī deberet mori antea  
In mundo. Sic neque emori potens  
Nec vivere, ut accepto verbere  
Canis, quem pastor aula depulit,  
Inter nihil quicquamque pervagat.  
Cur immortalis? cur vitae incapax?  
Qui vivere optat, cur vitae incapax,  
Curve immortalis, qui debet mori?  
Cur in vita atque morte vox “in-” est,  
Cur dest “potest” ex “vivere” et “mori”? –  
Ipse esse non cupivi, et ecce, sum!  
Mori post non optabo, sed peribo!  
Et nostra visa vilitate tunc  
Mori forte optem, sed me non licet.  
“Non!” torquet me, “non! non!” assiduo.

*(Frontem suam ferit)*

Quis es tu, qui intus in me luctitas?  
Mens? non mens? fac specteris, proveni!  
*(Firmiter spectat palmam longe porrectam,  
tamquam aliquid inde provolare videns)*

Sic! larva eras, nunc es papilio?

*(Delirans progreditur)*

Abire noli, sta! iam et ipse eo. –  
Non stat, abit, relinquit me, perit –  
Abest lux, somniemus, nox venit.

*(Exit)*

CSONGOR Quid vidi ego, voltus vagantium!  
Iamdudum noti advenerunt viri.  
Non ver calant hirundinis modo,  
Venerunt, in tempestate ut larus,  
Dolorem augentes atris fabulis.  
Diti reversa fortuna insidet,  
– Quondam qui insedit fortunae umeris –,

Et qui ibat antea mundum occupatum,  
Nunc – et quantis tormentis! – it mori.  
Clausit libros vir doctus, terminos  
Scientiae visus qui adire erat,  
Nunc ultra illos incertitudinis  
Mari, ut linter, iactatur perditus,  
Pro mente insania est gubernio,  
Non aspicit stellam, inter gurgites  
Voraturos se desperans iacet  
Ridetque monstra in se freudentia.  
Abes, mundi falsum spectaculum.  
Mendicant ditiae, potentia  
Descendit sede, est exstinctus focus  
Scientiae fax solis lumine,  
Inter quas errat infelix amor  
Gemens, columba ut solitaria.  
Pete latebras solitudinis,  
Pete locum intritum humano pede.  
Serena nocte, venti murmure  
Ibi iuventae visus somniat,  
Dolore pasta cogitatio  
De amore dilapso speque irrita.  
Mors cordis lenta est, non tortor tibi.

*(Exit)*

INEPTIUS

Eamus non plus miraculi videntes?  
Eamus in deserta et horridam  
Silvam? Est eundum; herbas tandem feret  
Hic tractus. Inde Ineptius cupit  
Nil luxus, par asello rugiens  
Ēst fenum, aquam, sicut canes, bibit.  
Vae! mi misello panem Caia non  
Facit, sole occiso haud sternit torum:  
Ut coepimus, finimus in fame,  
Quid est fugarum terminus? Lues.

*(Exit)*

## PLANUM

*(In medio horto inculto Tünde et Ilma veniunt)*

TÜNDE        Finita est erratio,  
                  Ilma, sta, quiesce.

ILMA                                Nos  
                  Pervenisse! Gratias dis.

TÜNDE        Tractus hic, hoc est nemus,  
                  Primum ubi vagata amanti  
                  Hanc voluptatum arboris  
                  Virgam quondam severam.  
                  Aureum pomum tulit, sed  
                  Fortunae procella dempsit  
                  Cordis prae cupidine.  
                  Hoc loco stet denuo,  
                  Deserti longe nitescat  
                  Admirabile decus.  
                  Et quem amor non est oblitus,  
                  Si fidus mihi est meus,  
                  Quidquid falsa ora dicant,  
                  Hoc loco sese remittat;  
                  At si infidus sit, neque  
                  Me fallant oracula,  
                  O, marce, carissima arbor,  
                  Marce: phthisi te sacro.

ILMA                O, quae oratio impia!  
                  An tam rara est res virum  
                  Infidum fuisse, ut omnes  
                  Odio sient habendi  
                  Nec magis viri favendi?  
                  Pulchrior venit; ni pulcher,  
                  Iustior venit; ni iustus,  
                  Vir novus venit, velut  
                  Ceteri viri fuere.

TÜNDE

Si rogare me sinis,  
Muta praeceptum, o era;  
Tam raram arborem est iniquum  
Marcescendam pro viro  
Infido quodam dari,  
Nam si ubique sic facis,  
Arbor non relinquitur,  
Flaccae omnes frondes erunt,  
Dum vir est dumque arbor est.  
Fiat tunc natura tota  
In aeternum flaccida,  
Culta luctu et lacrimis.  
Sed si amor felicitetur  
Mi, desolatum hoc iugum  
Lucis aulā ornabitur;  
Horrida haec inculta silva  
In deserto stans silenti,  
Horto quae quondam decori  
Avias fecit vias,  
Ut paradisis virescat,  
Ut rosa, intus vita parva  
Rivuli in ripis vigescat,  
Incidantque margaritae  
Roris, solis lux nova  
Infundat teporem et aura  
Caelestis hunc mitiget,  
Labra apis, mellita labra  
Luce prima amoris inde  
Abripiant oscula.  
Etsi posthac flacceat:  
Dulcis, pulchra, odora erat.  
Sed veni, cedamus, Ilma,  
Spectemus, quid sors ferat.  
Aurae parva numina,

Advolate, Genii,  
Arbor servetur mea.  
Et nocivos et scelestos  
Omnes arcete advehi.

*(Exit)*

ILMA  
Optimum consilium,  
Ut pelles aestatis aestu,  
Angulo secluditur.  
O arbor gratissima,  
Signum fidei es virili,  
Flacce, perdita es, vale!

*(Exit)*

GENII *(canunt in aethere)*

Ludum agimus  
Tempusque volat,  
Sideribus  
Nostra aura micat.  
Si vespere stella venit hilara,  
Sunt post ea prata poli nitida.  
Astra cohors  
Nostra insequitur,  
Ludit et os  
Caeli ingreditur.  
Quis nos revocat, supra humum revocat?  
Caelum nitet hic; ibi terra micat.

*(Genii alius post alium in terram devolant.)*

I Euge! descendi hicque sum.

Heus, ut gramen pruriat!

II Euge! descendi hicque sum.

Lenis incerta aura flat.

III Euge! descendi hicque sum.

Rore lascivo pluat!

REX GENIORUM

Virginis cor mi cuna oscillatur,  
Qui vult, delicias mutuatur.

	Virginis cor somnigera cuna, Dormio et nutat puella pulchra.
V	Flore odos est suavior, Ecce odos hic ipse sum.
VI	Eia! descendi hicque sum, Gemitus ego ipse sum.
VII	In puellulae labra Fundunt oscula oscula. Ridens osculum ipse sum.
VIII	Me exspectate, state, state. Cor ardens ego ipse sum.
IX	Iunior Lubido sum. Quid nobis opus datum?
PLURIMI	Ludum, ludum!
ALII	Quem velis?
NONNULLI	Agminis, rosae arboris.
I	Apium regina ero.
II	Agmen parvum mite ero.
PLURIMI	Nosque, nos agmen erīmus, Murmurantes et vagantes A ramo in ramum salimus.
III	Stirps rosae florens ego –
REX GENIORUM	State, cum virga hic virescat, Divae stirpis propago. Inque pulvere ut florescat, Hic ludus iucunditasque in Suavi puro odore crescat.
II	Stirps rosae, flores peto!
III	Hinc abi, es papilio.
II	Miserere: agmenculum Quod sum sitientium.
III	Quid bibis?
II	RoREM volo.

III Praemi quid recipio?  
 II Osculorum sex dabo.  
 III Nolo! nolo!  
 II Pereo!  
 III Suge odorem, quem dabo.  
 II O suxi sumque ebrius,  
 Languescunt alae meae.  
 Nunc cado, vae! decidi,  
 Fert me oscillum folii  
 Rubri. O quam mite et bonum!  
 Coapes, venite, nēmus.  
 PLURIMI Mel sumpturi ibi venite.  
 Clinē, odor, rosaeque ros,  
 O quam gratus, quam suavis mitisque flos!  
 (*Certatim exosculantur tertium*)  
 III (*flens*) Vae mihi vae! iam sinas,  
 Spinae mi pedes terunt.  
 I Vae mihi vae! languidas  
 Formicae genas petunt!  
 II Musca terret, culicum  
 Vis: linque hunc tractum malum.  
 (*Putria venit*)  
 REX GENIORUM  
 Eheu! quale hoc est portentum.  
 III Est visu mihi tormentum.  
 IX Forma anceps, caput informe,  
 Horridum est totum, ipsum turpe.  
 I Pro manu pes, est manus  
 Plantae: monstrum hoc linquimus.  
 REX GENIORUM  
 O redi, redi, redi;  
 Terra non nobis data:  
 Fraudans, immitis, fera.  
 (*Avolant*)



PUTRIA        Quid vult agmen nebulonum?  
                  Sed horrorem illi intuli,  
                  Nec curat plus ludere.  
                  Nunc veni mecum, aurea arbor,  
                  Arbor cara tu iuventae.  
                  Caligo cadat senectae,  
                  Malum si gustem tuum.  
                  Te quaeret iam numquam era,  
                  Delectatur regione  
                  Hac nil, fessa iam dolore;  
                  Quam fefelli, deperit. –  
                  Vello, vello, effoderis:  
                  Te erumpo unguibus meis.  
                  (*Sub arbore fodere incipit. –*  
                  *Daemones a tribus regionibus veniunt*)

MURMAX      Quam sum felix quidque cepi!  
 GRUNNAX    Quam iucundum est convenire.  
 TUMAX        Et pacem sacram sancire.  
 GRUNNAX    Quo vagatus es?  
 MURMAX                            Iugum ultra.  
 TUMAX        Delectatus vallibus sum  
                  Ipse. Tu, frater?  
 GRUNNAX                            Mare ultra!  
                  Calceos rupi meos.  
 MURMAX      Verberans dorsum strigae  
                  Flagrum corrupti meum.  
 TUMAX        Indutus quo sum, procella  
                  Pallium vellit meum.  
 GRUNNAX    Quidnam agamus, quid velimus?  
                  Astur ventre stridet imus.  
 MURMAX      Musica est pulcherrima,  
                  Ecce cymbalum vetus.  
 GRUNNAX    Ipse detritae lyrae  
                  Portito lignum vetus.

TUMAX           Fistula sambucea  
Ipse canto tertius.

MURMAX       Pax! quid vidi ibi? tacete!

GRUNNAX      In deserto qualis arbor!

MURMAX       Mentem audite quam geram.  
Fortuna est parata nobis,  
Sumier potest manu.

GRUNNAX, TUMAX  
Prode, prode.

MURMAX                       Est arbor illa  
Arbor diva Hesperidis.  
Quae fodit hanc unguibus,  
Putria est, scelus vetus.  
Impetamus, vinciamus,  
Tiliae vinclis ligemus,  
Tiliae in cavum figamus;  
Dumque mundus diluatur,  
Non solvetur inde, non.  
Hoc videbit Hesperis,  
Mercedem immensam dabit.

GRUNNAX, TUMAX  
Sic est, sic est, sitque sic,  
Ilicoque adsimus hic.  
                                  (*Exeunt*)

PUTRIA         Trunce, vilis trunce curve,  
Quo tendis coronam in Orco,  
Ut radicem tangere  
Non possim? Vin transfodi  
Pro te terram omnem? Exigam!  
                                  (*Daemones eam impetunt*)

MURMAX       At non fieri potest.  
Surge, si potes, latro.  
                                  (*A longinquo Tünde et Ilma videntur*)

PUTRIA A! quos cernunt lumina?  
 Divellam vos, o nefandi.

GRUNNAX Non potes!

PUTRIA Caecaberis.

TUMAX Non potes.

PUTRIA Me omittite,  
 Aut vos reddam vermicellos,  
 Fietis papiliones.  
*(Daemones cachinnant)*  
 A, verum est! non posse me.  
 Fors rogandum est, pollicendum  
 (Nec quod promitto, dabo). –  
 Filii, me solvite.

MURMAX Filium dic, in lacu  
 Qui bufonem strangulat.

PUTRIA Edistin mandragoram, quos  
 In me cogeret furor?

GRUNNAX An te ignoramus, latro?

TUMAX In ligno flaccescito!

PUTRIA O vestras ineptias!  
 Non videtis arborem hanc  
 Solam stare derelictam;  
 Plantatricem amore captam  
 Sum fraudata, non venit iam  
 Exsecrans visum huius orae.  
 Gaza omnis nobis remansit.  
 Ipsa feci; at dividamus  
 – Solvite, o me solvite! –  
 In pares partes lucrum.

MURMAX Te iam fraus nova gravat,  
 Ut cadas, ut pirum acerbum,  
 Finias vitam odiosam.  
 I, sectare, gratiam non  
 Invenis: algebis antro

In aeternum clausa, tenta;  
Vives, spiritum dum habes.  
Ne loquaris, frustra ais!  
Per mille annos in latebra  
Vivens verbum unum semel da,  
Idque fiat: “Vae mihi!”  
(*Daemones Putriam trahunt*)

PUTRIA Nox siet pro luce solis,  
Pro cibo venena vobis,  
Ros salset veneficus,  
Horror sit vobis coquus.  
GRUNNAX Dum loqui potest, loquatur.  
TUMAX Tiliae in cavo sequatur.  
PUTRIA Torqueatur vestra mens,  
Debilis caro atque egens,  
Sicut ploxenum vetus  
Stans sedensve actum dolore,  
Vigil stridens, in sopore;  
Expergemini terrore.  
Sit iocatio optima  
Vestra frendor dentium.  
MURMAX Ei bene est, anus, bene; ito;  
Aut stringam artius gulam?  
PUTRIA Vae mihi!  
MURMAX Ne gemas, veni cito.  
(*Exeunt.*)

(*Tünde et Ilma, adhuc quae latebant, prodeunt.*)

TÜNDE Ecquid denique audio!  
Huic malignae victima  
Ergo nostra erat salus?  
Suspicans fallacias  
Cum respexerim, horreo,  
Ut qui verticem videt nunc  
Transgressus clausis ocellis.

Csongor, o! suspicio  
Confidentiam incolam  
Fiso in te cordi interemit;  
Nunc tandem renascitur,  
Et renata gaudium est  
Maius, quam ante viva erat.  
Nox, quae pro minore culpa  
Fecisti luce exsulem me  
Pollicens lubidines  
Perbreves: da, non gemam  
Pro saeculis innumeris.

*(Daemones redeuntes ante Tüندن in genua procumbunt)*

Surgite, o fusci ministri,  
Vidi et comperi omnia.  
Surgite, inde iam mei  
Aulici satellites,  
Vivetisque divites  
Praemiis, splendore, ope.  
Grates, grates, benedicta!  
Quid iubes nunc exigi?  
Quid cupis non exigi?  
Hoc tractu in insidiis  
Abditos latere vos.  
Si quem forte videritis  
Hic sub arbore otiari,  
Mi retento colligato  
Illo ferte nuntium.

*(Exit)*

MURMAX Fiet praeceptum tuum.  
*(Ad Ilma)* Nec manes, iuvenca nympha?  
Nonne nosti forte me?  
ILMA Quis te novit, turpitude?  
MURMAX Olim quae mi in hortulo  
Nomen dans Ineptio

Me viscavit osculo.  
 ILMA Tune? fieri potest.  
 Ingressus mi notus est.  
 MURMAX Dic, colloqui ni pudet,  
 Cuius novisti modi?  
 ILMA Claudum tunc, nunc titubare.  
 MURMAX O tu cara! – reticella  
 Vestis tangi ne neges.  
 ILMA Divellam, te strangulent.  
 (*Exit*)  
 TUMAX Hem! spectare quid potes:  
 Vermis est papilio.  
 GRUNNAX Devolavit in vepres,  
 Papilio evanuit.  
 MURMAX Quid garritis? speculantes  
 Stemus in excubiis:  
 Praemiorum est hic dies.  
 (*Exeunt*)  
 CSONGOR (*veniens*)  
 Quousque ardes pectore imo,  
 Ut repressus montis ignis,  
 Maeror cordis aegri avitus?  
 Quamdiu atrocissimo  
 Bello saevit sensus imus?  
 Dereliquit me cupido,  
 Ad fontem libidinum quae  
 Sederat, rosarum apis;  
 Quae futuri pulchioris  
 Misit in noctem dolorum  
 Lucem, spes me dereliquit;  
 Solus fidus es comes,  
 Infinite tu dolor,  
 Pectoris mentisque hiems,  
 Desperabilis amor.

Non abis tu, sicut ater  
Pulvis, nubes, te periculum  
Cor meum frustra fugit.

*(Ex insidiis daemones erumpentes eum deprehendunt)*

TUMAX Per vitam tuam, mane.

GRUNNAX Motione absiste.

CSONGOR Ubi sum?

Quae vox auribus crepat  
Dura? Vestro prata spergam,  
O canes, cruore? Abite,  
Ferrum haurit, qui me petat.

MURMAX Dede te, mortalis: ut quem  
Perderet fames utique,  
Sed nunc crucifigeris.

*(Eum colligunt)*

GRUNNAX Te exaltabimus, dolorem  
Mitte.

TUMAX Delabi scio, ' heus,  
Velle te iam urgente sole.

MURMAX Non, non! optime est in alto,  
Plantas frigerante vento.

GRUNNAX Considente in fronte corvo.

TUMAX Cru-cru-crusta erunt ocelli.  
Bene cuba.

GRUNNAX Bene cuba.

MURMAX Visemus te perbreui.

*(Daemones abeunt)*

CSONGOR Csongor! ventum est ultimum huc,  
Ut te fortuna occidente  
Serviles ligent manus,  
Eludant fatum tuum?  
Certamen cur bracchiorum  
Liquisti valentium?  
Fortitudo invicta cordis,

Ignorarat quod metum,  
Proditrix cur te reliquit,  
Ne servi manu perires?  
Heu, non illi, sed dolor,  
Tormentorum immitis astur  
Cordis me vicit, ligatum  
Spiritus fessum tenens.  
Nil opus iam convenire  
Hostes est, ut corruam.  
Plus ipsius hostis ipse  
Me laedo occisoribus,  
Plus, quam iam exspectata mors.

*(A longinquo musica auditur)*

A! quid est? quales soni,  
Quae divina musica?  
Cur spes surgit et cupido  
E sepulcris excita?  
Visus somnii beati  
Cur ocellos nubilant,  
Spiritus tamquam renatus  
Cur amoris gaudiique  
Hospitem coetum vocat?  
Concedo, concedo: opus  
Est laxatione nervis  
Et quiete inertibus.  
O dolos! ave et vale!  
Csongor aeterno “vale”  
Dicto de puellae ocellis  
Somniat, libidine.

*(Sub arborem stratus indormiscit.*

*Tünde daemonibus comitata venit)*

MURMAX Ecce era gratissima,  
Quid fideles fecimus,  
Latronem ligavimus.



TÜNDE            Ille est, ille est – tot dolorum  
                       Tormentis quanta educasti,  
                       Fatum aeternum, praemia!  
 (*Ad daemones*) Hunc caute resolvite,  
                       Et suam capessat quisque  
                       Stationem, dum vocetur.  
 (*Daemones Csongore religato abeunt*)  
                       O quem praedixere pulsus  
                       Pectoris cupidinem  
                       Impleturum, Csongor, hic es  
                       Nusquam complexu exiturus.  
                       Es ligatus, Csongor; o non  
                       Es ligamine hocce dignus.  
                       Insolubilis catena  
                       Corda nostra et mitior  
                       Continet. Tamen cape et fer  
                       Serta florum, vincla silvae  
                       Incultae, revererim dum,  
                       Et quiesce; non decet me  
                       Perturbare somnium.  
                       Plus voluptatum tibi opto  
                       Illustrare; gaudium  
                       Somniā meum, quiesce.  
 (*Proficiscitur. Ineptius Ilmam secum tractans venit*)  
 INEPTIUS        Heus infida fraudulenta,  
                       Sic te in mundo opus 'st vagari,  
                       Tamquam mortuo marito?  
                       Quot ieiuniū peregi  
                       Milia et quantum sitis,  
                       Periurum et bibax caput  
                       Tu! sciunt modo inferi di,  
                       Castra ubi posueris,  
                       Riserisque et epulata es;  
                       Sicque sicut viduam

Fallere omnes te libet?  
 Sta culpamque confitere,  
 Vel te certum est vapulare,  
 Dum in libum mutata sis.

TÜNDE Iurgii quid infinitum hoc?  
 ILMA O iuva! venit, salutat  
 Impius me Ineptius  
 Verbere et conviciis.

TÜNDE (*ad Ineptium*)  
 Mitte hanc, audacissime!

INEPTIUS (*ad Tünden*)  
 Ecce, era gratissima –

TÜNDE Ecquid decretum est tibi, Ilma?  
 Me vel illum delige.  
 Responde: isne an hic manes?

ILMA (*post pausam*)  
 Ast ambo mallet simul:  
 Et manere hic atque abire.

TÜNDE Sic fiat. Te semove,  
 Sis potens viri tui,  
 Pinguefac, dum se movere  
 – Poenam hanc impono – potest.

INEPTIUS O era gratissima,  
 Et pedis tuae osculabor  
 Digitos pusillulos.

TÜNDE Sic feliciter! Fac, Ilma,  
 Hoc beatitudinis  
 Festo ne turber quibusquam.

(*Exit*)

ILMA Latro, adi.

INEPTIUS Mellita tu!

ILMA Veniam ultimam dabo  
 Oblita ista verbera.

INEPTIUS Costa mi carissima!

*(Ambo exeunt. Brevi tempore magno cum clangore regia  
splendens contra arborem Hesperidum ex terra se levat.*

*Csongor expergefit)*

CSONGOR O, quae me excitant amoena?  
Quae lux insueta affluit?  
Ex tristi deserto inani  
Quanta silva florida!  
Quae felix mutatio?  
Serta quid facit rosarum  
Undans de dorso meo?  
Cur voluptatum revolvit  
Gaudia arbor pristini aevi  
Ridentis memoriā?  
Lucis aula quid sibi vult,  
Vertex deserti admirandus?  
Omnia haec miracula facta  
Qua potenti sunt manu?  
Suntne vera? suntne vani  
Aetheris spectacula?  
Mean' ludunt somnia?

*(Tūnde septem satellitibus comitata, velata venit)*

Quid specto? Quod exit agmen  
Lucis ex aula ante me?  
Ecquis anteit superbe  
Huic cohorti splendidae?  
Quarum lux venit velata  
Stellarum potentium?  
Cur artus mei tremiscunt  
Curque sicut corda pulsa,  
Ēdit commixtos sonos  
Et doloris gaudiique  
Cor meum sic dubitans?  
Procumbo hoc loco, cum honore  
Spectent me procumbere

Quisque notus atque ignotus,  
 Quamque adoro femina.  
 TÜNDE (*sola propius accedit*)  
 Hospes, hos fines sacratos  
 Sanctos solitudinis  
 Non tremescens transgredi,  
 Audax, quo sis nomine,  
 Dic, quos tractus incolas,  
 Qui parentes sint tui?  
 CSONGOR Heu! ne quaere patriam!  
 In caelum volans volucris  
 Ala alacri nidum habet,  
 Venatore perfugam  
 Capream in latebra vallis  
 Tranquillum nemus manet,  
 Regionem qui aviam  
 Percurrit sonans lugubris,  
 Alveus rivum tenet;  
 Ipsa luna erratica  
 Denique inter tristia  
 Ridens otium invenit,  
 Dormitum post saxa abit.  
 His ego desertior,  
 O, sum mundi exul, mei me  
 Qui parentes peperere,  
 Quanto fletui, dolori,  
 Diro persecutioni  
 Filium sacrum dedere!  
 TÜNDE O magis tu, sorte pulse,  
 Evitasses hosce tractus,  
 Hic pericla non inires.  
 Quamquam amica tot dolores  
 Audiens consentio,  
 Non licet me parcere:

Non possunt iam revocari  
 Edictae poenae tuae.  
 CSONGOR Dic aperte, ne mōreris  
 Mi lenire spiritum.  
 Dic vel mortem, crede, labro  
 Gaudens sumam de tuo.  
 TÜNDE Poena mors non est ei, qui  
 Iamdudum velit mori.  
 Exspecta sortem alteram atque  
 Dum licet, caute eligas:  
 “Aut ad tristem finem opus te  
 Deserta avia ingredi,  
 Dum volunt, fletus et luctus  
 Tete habebunt lusui.  
 Tui ipsius persecutor  
 Mentis aegrae somniis,  
 Fine egens cursum usque cures  
 Spebus cunctis mortuis;  
 Tandem torpendo dolendo  
 Affectusque taedio  
 In arenam atre lueris,  
 Ut cadit stella e polo.  
 Duritas et solitudo  
 Mutae erunt satellites,  
 Cor non consolabitur te,  
 Mens augebit tristia –”  
 CSONGOR Desine, o sile, sileto  
 Tormentum vetus meum.  
 Duritas et solitudo  
 Fuerunt satellites,  
 Ni illae, sectati dolores  
 Me sunt insolubiles.  
 Hanc poenam lui hancque sortem,  
 Non plus perpeti queo:

TÜNDE

Alteram dic dicque mortem,  
Non invitus hanc fero.  
Haec si forte non placet,  
Poena non est sat gravis,  
Altera, ecce, sors manet,  
Tristior multo magis:  
In campo silenti florum  
In sinu fidorum amorum,  
Rivulum ut colle fluentem,  
Liliūm sertas gerentem  
Voce iucunda canentem  
Vitam opus 'st te degere.  
Somniorum eritque cuna  
Pulsus fidi pectoris,  
Gaudii solutio una,  
Ardent labra basiis.  
Cum deliciis recumbens,  
Cum deliciis resurgens,  
Et voluptati insepulta  
Passa praeterita multa,  
Ut miraculum in fabulis  
Antiquum, tibi refulgent  
Causa gaudii magis.  
Sed circumspice et velis:  
Haec voluptatum arbor, illa  
Villa in florenti loco  
Te manet, te propria, et quae  
Fecit haec beata – ego.  
*(Velum repente vultui revellit)*

CSONGOR

Tünde! – ‘o vel credere  
Visum fallacem esse verum  
Possem voci, his aut ocellis?  
Vae, si forte somnio!  
Non, non, voltus, lumina,

Bracchia atque digitelli,  
Corpus hoc luce creatum,  
Omnia haec tam splendide  
Formant inculpabilem  
– Non est plus, neque alia –  
Unam in aeternum hanc figuram  
Veram infallibiliter.  
O es, Tünde, Tünde, tu!  
Totque perpressus labores  
Pectus caeleste incolo!  
Pectore in tuo fleo!

*(Amplectitur)*

TÜNDE

Stillant in me diva labra  
Oscula immortalia.  
O mi Csongor, ora languent  
Atque mens est impotens  
Cogitare et eloqui,  
Quae beatitudinum  
Gurgite hoc pectus inundans  
Scit, sentit, putat, cupit.  
In meo sinu quiesce et  
Da in tuo sinu quietem.  
Sic inexpugnabiles  
Per vitam nostram latemus,  
A malis procul silemus;  
Oscula in me admitte labra  
Fundere florentia,  
Et responsa in corde nata  
Labra fundere mea.  
Sic imperturbabiles  
Tot voluptates colemus  
Invidi non cunctis rebus.

*(Comitantes magis magisque recedunt puellae, dum  
denique non videantur. Mala aurea usque cadunt, et a  
longinquo hoc auditur carmen:)*

Nox est inamoena rigens media,  
Lugubris et atra poli nebula:  
Ad delicias per opaca mihi  
– Amor vigil unus –, amate, veni.

**FINIT ACTUS QUINTUS**